MINISTERIUM EXORCISTICUM

Quô

EXORCISTA

Poſſeſſos, obſeſſos, & maleficiatos

à

Dæmonijs, eorúmque maleficis vexationibus in ſola virtute

SS. Nominis Domini Noſtri

JESU CHRISTI

CERTÒ & INFALLIBILITER

Si eſt ad majorem DEI Gloriam, & vexati ſalutem facillimô & breviſſimô modô liberare poteſt.

Cum

ANNEXIS THESIBUS THEOLOGICIS

Ad Mentem Doctoris Subtilis

JOANNIS DUNS-SCOTI

Ex

TRIBUS LIBRIS SENTENTIARUM

A. 51211

Quas ~~THESES~~

SUB FAVENTISSIMIS AUSPICIJS

Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi

DOMINI, DOMINI

JOANNIS GEORGII RUDOLPHI

S. R. I. COMITIS

à

SCHRATTENBACH,

L. B. in Heggenberg, & Oſtrovitz, Domini in Pragnald, Lemberg, & Salach, Cathedralis Eccleſiæ Olomucenſis Canonici nec non ad S. Annam Rectoris Perpetui, ac Suæ Eminentiſſimæ Celſitudinis Cardinalis de Schrattenbach Epiſcopi Olomucenſis Conſiliarij, Ejuſdémque Reverendiſſimi Officij Epiſcopalis Aſſeſſoris digniſſimi.

DOMINI, DOMINI

Patroni Gratioſiſſimi

Publicè defendendas ſuſceperunt

PRÆSIDE

M. R. P. ADOLPHO MEDELSKY, Ord. Min. Convent. SS. Theologiæ Licentiato, ejuſdémque Actuali Lectore in Studio Generali.

R. P Baccalaur. FRANCISCUS SOLANUS MONSCHMIDT, & V. F. Baccal. GELASIUS STOEPHEL, ejuſdem Sacri Ordinis Profeſſi & SS. Theologiæ Alumni Brunæ in Eccleſia ad SS. Joannes F. F. Minorum Conventualium Annô 1738. Menſe Junio Die Horis poſt Meridiem conſuetis.

OPPAVIÆ, typis Joannis W. Schindler, Typogr. Privil.

D 6

ELENCHUS
CAPITUM HIC CONTENTORUM.

Caput primum. De quidditate, cauſis & effectibus, ac de ſignis diabolicæ & maleficæ vexationis.

Caput ſecundum. De virtutibus tam Exorciſtæ, quàm vexatorum, & de horum remedijs ac diſpoſitionibus tam ante, quàm poſt liberationem.

Caput tertium. De Exorciſmis in genere.

Caput quartum. De expulſivis Exorciſmis tam Poſſeſſorum, quàm maleficiatorum in ſpecie.

Caput quintum. De Spectris, & de modis ea pellendi.

Caput ſextum. De Benedictionibus huc pertinentibus.

Ad laudem SS. Nominis
JESU.

Cùm Domini Curati ex juſtitia teneantur ſuos ſubditos à diabolicis liberare vexationibus; Religioſi quoque in defectu aliorum ex charitate ſub mortali obligentur ſimilia obire miniſteria: Quod enim in tali re gravi tibi velles fieri, alteri feceris. Cur tamen modò tantus juſtitiæ, tantúſque charitatis defectus? Ideò fortè, quia non rectè exiſtimant, vim Exorciſmi iniți ſanctitati Miniſtri, ideò occurſum Energumeni, vel maleficiati, ex humilitate declinant. Verum quidem eſt, in noſtra Germania paucos inveniri Energumenos; aſt utì in hac multi latent malefici (quorum quidam primò poſt mortem, ùt in recentiſſima eſt memoria, patent, qui totam catenam corporum mortuorum, etiam innocentium, poſt ipſos ſepultorum ope dæmonis, DEO permittente, ſecum traxerunt, & homines diverſimodè divexârunt) ita multò plures in hac Germania reperiuntur maleficiati, tam pecora quàm homines, tam parvuli quàm adulti, tam liberi quàm Conjugati, diverſis morbis terribiliter cruciati. Quare, amice Exorciſta, ad ſimilia mala in ſola virtute SS No-

minis D. N. JESU Christi facillimô modô per te tollenda, præsens Ministerium Exorcisticum, sicut tibi ex corde offero, ita benevolè susci pe: est enim in SS. Evangelio, & S. Scriptura fundatum, & in gratiam tui, & per te liberandorum compilatum, partim ex vita, praxi, & instructione mihi data ab A. R. P. M. Ludovico Costa Ord. Min. S. Franc. Convent., partim ex Armamentario Ecclesiastico A. 1725. Frisingæ approbato, edito ab A. R. P. Ubaldo Stoiber Ord. Min. S. Franc. Reformat. Exorcistis famosissimis. Itaque hoc Ministerium Exorcisticum bene capias, motiva veræ fiduciæ sæpè elicias, potestatem tuam calcandi super serpentes & scorpiones infernales generosè recolligas, dæmonis & Spectrorum vilitatem imperterritè expendas, vexatos in fide & fiducia patienter instruas, eósque à vexationibus diabolicis charitativè liberes, breviſſimas in virtute SS. Nominis D N. JESU Christi Exorcismorum formulas, modúmque exorcizandi (ùt hæc pauca te docebunt folia) ingravatè addiscas, & sic infallibilem videbis effectum.

Vale.

AP-

APPROBATIONES.

OPuſculum Miniſterium Exorciſticum nuncupatum à quodam Provinciæ Moraviæ Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium Patre Singulari induſtria elaboratum, ſedulò perlegi, & cùm nec quidquàm aut orthodoxæ fidei, aut bonis moribus diſſonum contineat, Proinde dignum, & utile fore cenſeo, ut prælo detur, & pro bono Chriſtianitatis in lucem publicam prodeat. In quorum majorem fidem me, manu propriâ ſubſcripſi & conſvetum meorum inſignium Sigillum appreſſi. Datum Oppaviæ in æde Decanali Die 1. Aprilis 1738.

(L.S.) Joannes Georgius Guil. Urban Tevt. Ord. Presbyter, Protonotarius Apoſtolicus, p. t. Decanus & Parochus Loci.

OPuſculum ſeu Titulatum, Miniſterium Exorciſticum, nihil continet aut ritibus aut moribus Eccleſiæ diſſonum, minùs à Doctrina Catholica alienum, quin typo dari non poſſit. Imprimatur itáque, in Fidem Majorem Signo Nominis ſubſcriptione. Dat. in Domo Parochiali Mödricij Die 19. Februarij Annô 1738.

(L.S.) Carolus Joſephus Röttig Decanus & Paroch. Loci.

MInisterium Exorcisticum à quodam Provinciæ Moraviæ Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium Patre Emerito & nostro Confratre elucubratum nos infrascripti accuratè legimus & relegimus; cùmque in eo nihil, quod vel fidei vel honestati foret adversum, quódve illud alias à publica luce arceret contineatur, quinimò omnia, quæ exhibet, sint Romanæ praxi conformia, ipsum typis mandari posse censemus; si tamen videbitur A. R. ac Eximio Patri Ministro Provinciali & Commissario Generalis. In fidem subscripsimus respectivè Superioris Glogoviæ & Carnoviæ Annô 1738. Die 24. Martij.

Fr Matthæus Jasche, Ord. Min. Conv. Prov. Bohemiæ Commissarius Generalis, Prov. Moraviæ Minister Emeritus & Custos S. Ludov.

Fr. Nicolaus Pohl, Prov. Morav. Diffinitor perpetuus & p. t. Guard. Carnov.

Imprimatur.

(L. S.) Fr. WOLFFGANGUS BURGER, Minister Provincialis Morav. & Comissarius Generalis Ord. Min. S. Francisci Convent.

Fr. Lazarus Schopper, Secretarius Provinciæ.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De quidditate, cauſis, & effectibus, ac ſignis diabolicæ & maleficæ vexationis.

Q. I. Quid ſit Exorciſtatus? R. Eſt Ordo ſeu Sacramentum novæ legis, quô traditur Ordinato poteſtas dæmones increpandi, illóſque ab hominibus, & è rebus ad homines ſpectantibus expellendi. Etsì tamen omnes Exorciſtæ hac polleant poteſtate; in actu verò 2do non nisì Presbyteri juriſdictionati hâc uti poſſunt.

Q. II. Quæ ſint cauſæ Miniſterij Exorciſtici? R. 1. Cauſa efficiens principalis eſt DEUS; miniſterialis verò Exorciſta, qui dæmones expellit, & eorum maleficia deſtruit. 2. Cauſa formalis proxima eſt prolatio verborum ſuper materiam debitam; remota ſunt verba à Chriſto inſtituta. 3. Cauſa materialis remota eſt diabolus expellendus; proxi-

ma dæmonis expulſio. 4. Cauſa finalis ultimata eſt major DEI gloria ; proxima ipſa vexati liberatio.

Q. III. Quæ eſt forma eſſentialis Exorciſmi à Chriſto inſtituta? R. In virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte dæmon præcipio &c. hoc clarè patet Marci ult. *in Nomine meo dæmonia ejicient.* Et Lucæ 10. *Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in Nomine tuo.* Et Joannes ait : *Interdico tibi in Nomine JESU Chriſti Nazareni, nè ultra hìc habites.* Item : *In Nomine JESU Chriſti hinc exite, nunquam redituri.*

Dices. Rituale Romanum, aliáque, longos præſcribunt Exorciſmos, per 2. 3. 4. horas durantes ; ergo &c. R. præſcribunt de neceſſitate : Nego. Pro utilitate : Conc. ſcilicet ad fidem & fiduciam roborandam : Videns enim Exorciſta & vexatus, dæmonem Exorciſmis torqueri, majori roboratur fide & fiducia, ad diabolum ſucceſſivè totaliter ejiciendum. Utrobique eſt magna Authoritas : Ibi Chriſti, Apoſtolorum & Sanctorum ; hìc S. Eccleſiæ Chriſti Sponſæ. Verùm ſicut Sponſa amore & voluntate copulatur Sponſo, ita credendum non eſt, S. Eccleſiam Chriſto vel in minimo eſſe contrariam, ſi prævìè (utì ſuppono) tam Exorciſta, quàm vexatus, ſint in fide bene roborati. Lata tamen diſ-

disparitas est inter Exorcismum nostrum, & inter illos per plures horas continuatos: nam ibi diabolus sinè læsione vexati mox exire compellitur; hìc verò per longas horas terribiliter cruciat & torquet vexatum. Si verò quidam Exorcista pro genio suo quosdam cuderet Exorcismos, à forma Christi tradita, & ab ipsa S. Ecclesia usurpata alienos, omnino omnes rejiciendi sunt.

Q. IV. Quinam dicantur vexati? R. 1. maleficiati. 2. Obsessi. 3. Possessi, seu Dæmoniaci, sive Energumeni. Maleficium est magiæ species, quâ quis ope dæmonis alteri damnum causat. Vel, si sumitur pro effectu, sic est prava operatio in corpore per virtutem dæmonis ex pacto tacito, vel expresso cum homine malefico inito, justô DEI permittentis consiliô facta. Obsessio est, dum dæmon ad extra existens, corpus vexat & affligit; vel certam tantùm corporis partem inhabitando cruciat. Possessio verò est intrinseca dæmonis inhabitatio in toto corpore, in quo ex voluntate DEI varias exercet operationes & torsiones; ita ut jam hanc, jam illam partem, jam totum Corpus simul miserabiliter vexet & cruciet. Si maleficiatus diabolicis obedit suggestionibus, brevì fiet obsessus, & tandem ob peccata grandia planè possessus. In præsenti itaque nomine

vexa-

vexati intelligo promiſcuè tam maleficiatos, quàm obſeſſos & poſſeſſos; quia quidquid requiritur ad liberandum unum, requiritur & ad alterum.

Q. V. Quæ cauſæ ad veram & realem vexationem concurrant? R. 1. DEUS, ùt cauſa prima. 2. Maleficus, ùt cauſa moralis efficiens. 3. Maleficia, ùt cauſæ diſpoſitivæ. 4. Diabolus. Juſtis enim de cauſis DEUS poſitivè concomitanter ad omnes vexationes in eſſe materiali concurrit; imò ſubinde diabolum poſſidere & vexare creaturam jubet, ùt à continuis peccatis ceſſet, pœnitentiam agat, liberationem humiliter petat, & liberata æternam gloriam acquirat: Nam DEUS omnia ad bonum finem ordinat, utì hìc, ut monſtret ſuam juſtitiam & miſericordiam; ex liberatione verò ſuam majorem gloriam, omnipotentiam, bonitatem, veracitatem, potentiam Eccleſiæ.

Q. VI. Quas dæmon corpus hominis vexandi ſumat occaſiones? R. 1. Solet dæmon omnes hominis inclinationes explorare, maleficos ad maleficia inſtigare, ut ſic viam ingrediendi ſibi ſternat ſecuram. 2. Præmittit varias imaginarias, vel etiam reales, viſiones diverſi generis Spectrorum, quibus graves homini timores incutit, ut in fide & fiducia divinæ protectionis tepeſcat,

ac

ac per diffidentiam in DEUM dæmoni januam corporis aperiat. 3. Ob deſperationem & puſillanimitatem non petentes auxilium à DEO, & à malo ſe eripiendos diffidunt; ideò à DEO derelicti, à diabolo opprimuntur: potiſſima enim vexationis cauſa eſt diffidentia in DEO. 4. Ob culpam præcedentem v. g. iræ, libidinis, ebrietatis, gulæ &c. DEUS enim ita deſertus, juſtè deſerit. 5. Si dæmon invitetur, ùt diabolus me rapiat, poſſideat, &c. 6. Tandem ut plurimùm per maleficia.

Q. VII. Quas vexationes ſoleant dæmones extrinſecè obſidentes homini inferre? R. 1. Per apparitiones imaginarias in phantaſia, ita ut ſe agitari, jugulari & occidi arbitretur à dæmonibus, ſeu in ſomno, ſeu in vigilia. 2. Per viſum, ſcilicet per reales apparitiones, diverſas malitias machinantes. 3. Per auditum, excitando ſtrepitus, ſimulatos inceſſus, cachinnos, ſuſpiria, gemitus, clamores &c. 4. Per odoratum, cauſando fætorem importabilem, vel odorem ſvaviſſimum. 5. Per guſtum, ita ut nauſeam procreet, vel omnium, vel aliquorum ciborum; vel cauſando famem lupinam &c. 6. Per tactum: Sæpè enim eum è lecto ejiciunt, aures vellicant, & nisì fide & fiducia

duciâ in DEUM reſiſtat, etiam concubitum tentant.

Q. VIII. Quotuplex ſit maleficium in genere cauſæ finalis ? R. 1. Somniferum, ut malefici ſoporatis ope dæmonis venenum infundant, infantes permutent, vel rapiant, vel ſuffocent, ſtuprô, adulteriô mulieres contaminent, aut viris per tactus pollutionem procurent, ubera ſugant, furtô quid auferant, &c. 2. Amatorium, quô vexati ad amorem ita aliciuntur, ut uri videantur, imaginatio turbetur, humores concitentur, & totum corpus interiùs quaſi accendatur, & ad deſiderium carnale trahatur, licèt libertas non lædatur : Nam voluntas cogi non poteſt ad aliquem amandum &c. 3. Hoſtile, quô ope dæmonis in bonis animæ, corporis, aut fortunæ homini damnum infertur, aut ſaltèm aptum eſt inferre.

Q. IX. Quæ ſint ſpecies maleficij hoſtilis ? R. 1. maleficium ligaminis, in Conjugibus frequentiſſimum. 2. Abortûs tum in fæminis, tum pecoribus. 3. Infirmitatis. 4. Lactis exſiccationis. 5. Difficilis partûs. 6. Butyrizationis. 7. Taciturnitatis, quô dæmon ita linguam impedit, nè quis verbum proferre valeat.

Q. X. Quæ ſint ſigna veræ & realis vexatio-

xationis certa ? R. 1. Si quis deliriô, phreneſi, aliàque infirmitate vel dolore cujuſvis partis Corporis vexetur, & ad præceptum lenitivum conditionatè factum, omnis dolor ſubitò ceſſet, ac priſtinæ ſanitati reſtituatur. 2. Si ad præceptum probativum patiens mox vexetur, & præceptô lenitivô deſuper factô. ſubitò ſanetur. Et hi duo modi ſunt ſigna certiſſima, quibus Exortiſta in notitiam venire poteſt. 3. Si vexatus eſt macilentus, quia dæmon ipſi demit nutrimentum. 4. Si quis rudis de altis diſcurrit; linguas ignotas loquitur, & ſimul intelligit; occulta revelat; remota adducit; futura prædicit. 5. Si abſque data occaſione nimio amore erga alterum inflammetur, ita, ut credat pectus ſibi aduri, nî alterum quærat, quem amat. 6. Si quis ſubitò ita deſperat, ut veſtes, & propria membra dilaceret &c. 7. Si quis aliàs debilis ita ſubitò fortis fit, ut ab aliquot viris retineri nequeat. &c. &c.

Q. XI. Quæ ſint ſigna veræ & realis vexationis probabilia ? R. 1. Si quis eſt aliàs bonus & timoratus, contra voluntatem tamen odiô habet Exorciſtam, Sacerdotes, Religioſos, Parentes, amicos, eóſque tanquam ſuos adverſarios æſtimans fugiat, & horreat. 2. Si remedia ſpiritualia, ùt Sacramenta, Sacramentalia, Reliquias Sanctorum &c. tanquam ſibi nociva averſetur. 3. Si

ſæpè ei occurrant phantaſmata, viſiones reales, aut imaginariæ Spectrorum horribilium. 4. Si ſomnia ſæpè ſint Spectrorum horribilium, vel libidinis in perſona aliàs caſta & timorata. 5. Si internas ſentit allocutiones rerum inutilium & vanarum : Vel ſi ei ſæpè apparent viſiones Sanctorum immoderatam caſtigationem corporis ſvadentium. 6. Si ſæpè videt dæmonem ſub diverſis formis v. g. gigantis, mauri, vetulæ, canis, cati, urſi &c. ſibi apparentem. 7. Si quis vomitu ejicit acus, cultros, vitra, pilos, cortices ovorum &c. 8. Si repentinus calor vel frigus hinc inde per corpus diſcurrit, modò hanc, modò illam partem afficit, & ſinè alia cura iterum recedit. 11. Si quis ad doctrinam ſpiritualem cum maxima oris aperitione oſcitat. &c. &c.

Q. XII. An prædictis Exorciſta decipi poſſit ſignis ? R. hoc verum eſſe. Unde oportet Exorciſtam eſſe cautum ; & ſic DEO ſibi aſſiſtente tam facilè non decipietur : nam 1. aliqui ex pura malitia ſe fingunt eſſe vexatos, his ita obviandum : formetur præceptum lenitivum, nè diabolus torqueat ; poſtea verò, ut in hac vel illa parte corporis vexet : tunc ſi perſona eſt verè poſſeſſa, dæmon illam corporis partem vexabit, quam vexari præcepit: Si verò tantùm fictè eſt poſſeſſa, etiam ad primum præceptum ſe vexa-

tam,

tam, ad 2dum ſe non vexatam, vel in alia parte vexatam dicet. Ecce manifeſta eſt deceptio. 2. Alij ſe poſſeſſos eſſe imaginariè credunt, ùt melancholici, vel mulieres menſtruô carentes, in quibus humores & vapores venenoſi ad ſtomachum aſcendunt, cibum indigeſtum conturbant, & inficiunt, & ſic novi cibi appetitum tollunt; ex ſtomacho aſcendunt in cerebrum, & phantaſmata ita conturbant, ut deliriô vel phreneſi ſæpè laborent; tandem à capite in reliqua membra ſe ita diffundunt, & per corpus diſcurrunt, ut dæmonem eſſe credant: exercent enim actiones poſſeſſis ſimiles, clamores excitant, &c. Aſt quoque hìc per præceptum probativum vel lenitivum notitiam capies.

Q. XIII. Cur plures fæminæ, quàm viri, à dæmone vexentur? ℟ 1. quia fæmina in fide eſt debilior. 2. Ob vehementiſſimam iræ paſſionem, præſertim contra eum, quem priùs amavit. 3. Ob luxuriam. 4. Ob lubricam linguam, quâ maleficiatos, ſibi ignotos, excitant ad maleficia ſibi paranda. 5. Quia varijs imaginarijs viſionibus à dæmone decepta, in fide & fiducia tepeſcens, per diffidentiam dæmoni januam in corpus intrandi aperit. 6. Quia ſub prætextu infirmitatis matricalis diabolus etiam per annos in ſuo corpore latitat, uſquedum per prudentem Exorciſtam agnitus, expellatur

Q. XIV. Quomodo maleficia tolli poſſint ? R. 1. Per media illicita, ſive per magiam cum expreſſo, ſive per ſuperſtionem cum implicito pacto dæmonis. 2. Per moralia, vel per deſtructionem maleficorum ſignorum, vel per Sacramenta, & Sacramentalia ab Eccleſia in ordine ad hunc tantùm finem inſtituta. Unde, quando alicui rei tribuitur vis & efficacia ad producendum effectum, quem nec ex DEI ; nec Eccleſiæ inſtitutione, nec ab ipſa natura habet, ſemper ſuperſtitio cenſetur. Imò Sacramenta & Sacramentalia, variæ Sanctæ literæ ſcriptæ, præſertim hæbraicæ, res ſacræ & benedictæ, adhibitæ cum promiſſione effectûs infallibiliter ſecuturi, aut cum quadam vana obſervantia, meram denotant ſuperſtitionem : Nam ſimilia ex ſe non habent alium effectum, quàm hominem diſponendo ad veram in DEUM fidem & fiduciam. Et licèt ſit licitum perquirere maleficij ſigna (quæ ſolent eſſe abſcondita in loco, ubi vexatus maximè affligitur v. g. in lecto, hac indutus veſte &c. ubi bruta contremiſcunt, tranſire nolunt, aut coincidunt, quæ ibi inventa, igne benedicto, aut ſaltem aquâ benedictâ conſperſo, comburantur, nè fumus nova cauſet maleficia) id tamen non eſt neceſſarium ; quia hæc ſigna ex ſe non ſunt nociva, ſed tantùm dæmonis allectiva : Si itaque dæmon pellitur, hæc

hæc ſigna nocere non poterunt. 3. Per Exorciſmos virtute divina infallibilem habentes effectum.

Q. XV. An vexatus ſe ipſum ab actuali vexatione liberare poſſit? R affir. 1. Si certò credit, DEUM ordinariè velle ejectionem diaboli. 2. Si DEI auxilium invocat, actus fidei & fiduciæ elicit; & DEUM pro ſua deprecatur liberatione. 3. Si omnem dæmonis timorem excutit, neque ejus ſuggeſtionibus, blanditíjſque attendit; aures ei non præbet, nec cum eo contendit. 4. Si vultu ſereno, corde, ore, & opere dæmonem ſæpè contemnit, vilipendit, & opprobrijs afficit. 5. Si dæmoni moleſtanti dictet pænam v. g. ut ſe proſternat coram Crucifixo, vel ad pedes B. V. Mariæ, aut terram oſculetur: hæc enim ſuperbis diabolis intollerabilis eſt pæna. 6. Si dæmon vexare incipit, timorem incutit, ſuggeſtiones ſub ſpecie boni pravas ingerit; mox ſimilia irriſoriè deſpiciat, & præcipiat dicendo: In virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, nè me vexes, & nec impoſterum me vexare præſumas, in Nomine Patȓis, & Fiȓlij, & Spiritûs ȓ Sancti, Amen. 7. Si fortè dæmon denuò vexare intendit, denuò toties quoties opus fuerit, hôc præceptô fugetur; irriſoriè quando

doque etiam interrogando : an ceſſare potiùs, vel præfatum præceptum denuò experiri velit ? Si vexare non ceſſat, formetur novum præceptum, & ſic habebit pacem.

CAPUT SECUNDUM.

De Virtutibus tam Exorciſtæ, quàm Vexatorum, & de horum remedijs ac diſpoſitionibus tam ante, quàm poſt liberationem.

Q. 1. Quæ virtutes tam Exorciſtæ, quàm vexato ſint neceſſariæ ? R. quamvis Exorciſtam tam gratia ſanctificante, quàm omnibus virtutibus ornatum eſſe deceret ; non tamen abſolutè ex parte utriuſque plus requiritur, quàm vera fides & inconcuſſa fiducia. Fides autem debet eſſe 1. ſupernaturalis, quâ aſſentimur obſcuris propter authoritatem DEI revelantis : *In Nomine meo dæmonia ejicient.* Marci ult. 2. Actualis, quâ per actum intellectûs actualiter aſſentimur S. Scripturæ ; & hanc Chriſtus ipſe requiſivit : *Creditis, quòd poſſum hæc facere ? Zdùm fidem veſtram fiat vobis.* Matth: 9. 3. Explicita, quâ aſſentimur præfatis articulis ſpecialibus. 4. Practica, quia ex hac ſola generatur fiducia incon-

inconcuſſa hìc neceſſaria. Ut *hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum; quia quodcunque petierimus ædùm voluntatem ejus, audit nos.* Joan. 3. Et *in quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem.* Ad Epheſ. 3.

Q. II. Quid ſit vera fiducia? R. eſt firmiſſima & robuſtiſſima ſpes futuri auxilij concepta ex frequentatis actibus fidei ſupernaturalis, quâ quis firmiter credit DEUM nedum poſſe ratione ſuæ Omnipotentiæ, ſed etiam ratione ſuæ infinitæ bonitatis ac fidelitatis velle dare, quod animæ eſt ſalutare. Fide enim credere debemus, DEUM poſſe facere, quod petimus: Fiduciâ verò, cùm innitatur claræ promiſſioni divinæ, eodem jure hæſitationem excludit: ùt enim DEUS verax eſt in dicendo, ita fidelis in exequendo. Si ergo articulis fidei ſinè hæſitatione credimus ob veracitatem DEI revelantis, etiam ſinè hæſitatione ſperamus ob promiſſionem divinam. Quia tamen promiſſio divina eſt conditionata tantùm, ſcilicet ſi requiſitæ adſint diſpoſitiones, & ſi expulſio ſit ſalutaris; etiam tantùm conditionatè credere tenemur vexatum liberandum, ſi præfatæ adſint conditiones.

Q. III. Quæ ſint motiva veræ fiduciæ in DEO? R. 1. quia Pater amantiſſimus eſt, qui te Filium prodigum benignè ſuſcipiet. 2. Quia Omnipotens Rex cæli & terræ eſt, qui te

à mancipatu diaboli eripere poteſt. 3. Quia tuus fideliſſimus Sponſus eſt; ùt enim infinitè verax eſt, falli & fallere neſcius; ita in promiſſis ſervandis infinitè fidelis eſt. 4. Quia tuus Paſtor bonus eſt, qui animam ſuam dedit pro te ovicula ſua, ne te diabolus lupus rapax devoret. 5. Quia tuus benigniſſimus Salvator eſt, ut te ſalvet à diabolo inimico tuo. 6. Quia tuus providiſſimus Medicus eſt, ut te ab omnibus infirmitatibus, langvoribus & doloribus à diabolo cauſatis, ſanet, & liberet. 7. Quia tuus gratioſiſſimus Judex eſt, ut te ab omni malo diaboli per Exorciſtam liberet in virtute SS. Nominis ſui, in quo omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium & infernorum.

Q. IV. Quomodo vera fiducia ex S. Scriptura ſit elicienda? R. Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo. Si conſurgant adverſum me caſtra, non timebit cor meum. Si conſurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo Pſ. 26. In te Domine ſperavi, non confundar in æternum. Pſ. 30. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabo, & conculcabo leonem & draconem. Quoniam in te ſperavi, liberabis me, proteges me, quoniam cognovi Nomen tuum. Clamabo ad te, & tu exaudies me, mecum es in tribulatione, eripies me, & glorificabis me. Pſ. 49. Omnes, qui confidunt in te, non infirmantur,

tur. Matth. 2. Petam, & dabitur mihi; quæram, & inveniam; pulſabo, & aperietur mihi; omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit invenit; & pulſanti aperietur. Matth. 7. Credo, quòd poſſis facere hoc, & 2dùm fidem meam fiet mihi. Matth. 9. Licèt habeam fidem tantùm, ùt granum ſinapis, dicam tamen monti huic (diabolo, infirmitati &c.) tranſi hinc illuc, & tranſibit: nam nihil impoſſibile eſt credenti. Matth. 7. Nam omnia poſſibilia ſunt credenti. Marci 9. Signa enim, qui crediderint, hæc ſequentur: in Nomine tuo dæmonia ejicient. Marci 21. *Et tu dicis Domine*: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet. Joan. 14. Nullus ſperavit in te, & confuſus eſt. Eccleſ. 2. Omnis, qui credit in te, non confundetur. Rom. 10. Nam citiùs cælum & terra, quàm verba tua præteribunt. Matth. 24.

Q. V. Quæ virtutes Exorciſtæ neceſſariæ ſint, ad veram fidem & fiduciam acquirendam? R. 1. Si dæmonium ſit ſurdum & mutum, ut vexatus debitæ fiduciæ & fidei ſinè hæſitatione inſtructionem capiat, cordíſque afflictiones aperiat, oratione & jejunio opus eſt. Item ſi dæmon ex permiſſione divina majorem acquiſivit poteſtatem corpus divexandi; vexatus fit timidior, & ſuggeſtionibus diabolicis aſſentiendi promptior; ideò etiam orandum & jejunandum, ut ad veram

& roboratam fidem & fiduciam perveniat. 2. Exorciſta humilis eſſe debet, nè fortè ſuperbiâ elatus, dæmon in ipſum poteſtatem acquirat: nam DEus ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam. 3. Fulgere debet charitate proximi, & zelô animarum, ſinè reſpectu Perſonarum. 4. Debet eſſe patiens; quia dæmon vindictam quæret per perſecutiones; ſed confidat, DEus ipſum proteget.

Q. VI. Quæ virtutes vexato neceſſariæ ſint ad veram fidem & fiduciam acquirendam? R. 1. Debet omnia ſua peccata dolenter confiteri, propoſitum emendationis elicere, pravas conſvetudines deponere, & omnes occaſiones malas efficaciter evitare. 2. Fortis & perſeverans patientia requiritur. 3. Humilitas, quia humilibus DEUS dat gratiam. 4. Oratio pro liberatione. 5. Jejunium. 6. Devota Sacramentorum ſuſceptio.

Q. VII. Quomodo vexatus erga DEum diſpoſitus eſſe debeat? R. 1. Debet credere DEum eſſe omnipotentem, cui nullus dæmon reſiſtere poteſt: ſed utì DEus omnes dæmones de Cælo unico voluntatis actu in infernum præcipitavit; ſic nunc è ſuo corpore voluntate ſua omnes ejiciet. 2. Eſſe ſapientiſſimum, cui nulla fallacia, nullus dolus, nulla machinamenta diabolica poſſunt eſſe abſcondita. 3. Eſſe ſummum Bonum, qui

ſua

ſua bonitate ipſum liberabit. 4. Eſſe veraciſſimum, qui in S. Evangelio promiſit ipſum liberaturum. 5. Providiſſimum, cui æqualis cura eſt de omnibus tam bonis quàm malis. 6. Debet credere SS. Nomen JESU eſſe potentiſſimum, cui data eſt virtus dæmones expellendi. 7. Debet DEO gratias agere, eúmque laudare, quòd ex ſua infinita miſericordia in S. Evangelio promiſerit, & Exorciſtæ poteſtatem dederit, ſe per virtutem SS. Nominis JESU à dæmone & ejus maleficiis liberaturum, dummodo fide & fiduciâ & aliis requiſitis bene diſpoſitus ſit; & ideò debet rogare DEum pro gratia ſe bene diſponendi.

Q. VIII. Quomodo vexatus erga Exorciſtam diſpoſitus eſſe debeat? R. 1. Debet credere, Exorciſtam non agere in Perſonâ propria, ſed in Perſona & in virtute SS. Nominis JESU Chriſti; non poteſtate humana, ſed divina; non ex opere operantis, ſeu meritis propriis, ſed ex opere operato, ſeu meritis Chriſti. 2. Ut Exorciſtæ in omnibus obediat, & credat, eíque omnes tentationes ad peccata inducentes, vel ab obedientia revocantes, vel à monitis diſtrahentes revelet &c. 3. Ut Exorciſtæ experto credat, ſe à diabolo vexari; quia aliàs vix veræ fidei actus elicere, nec à dæmone aut ejus maleficio liberari poterit. Ideò ſi quis duræ cervicis ſuum dolorem jam modò credit diabolicum,

jam naturalem, ut ita anceps hæreat, Exorciſta per præceptum probativum jubeat, ut dæmon ipſum tam diu divexet, uſque dum vexatus pro remedio ſupplicet, & credat; & ſic poſtea præceptô lenitivô liberetur. 4. Ut omni conatu ejus dictis & præceptis attendat, nec ullô modô ad alia divertatur. 5. Debet credere in hoc loco, & in hoc momento ſe liberaturum, ubi & quando Exorciſta in Nomine JESU mandatum dabit. 6. Si quidpiam diabolus ei contra Exorciſtam ingerit, mox debet tentationi reſiſtere, Exorciſtam accedere, ei pro laboribus gratias agere, ab eo deſideranter liberationem petere. 7. Tempore Exorciſmi non debet Exorciſtæ reſiſtere; ſed & ipſe vera fide & fiduciâ DEum invocet, & ſimul in corde id dæmoni præcipiat, quod Exorciſta præcipit.

Q. IX. Quomodo vexatus erga ſeipſum diſpoſitus eſſe debeat? R. 1. Puritati conſcientiæ ſtudeat, aliorum orationibus ſe commendet. 2. Sæpè ſe aſpergat aquâ benedictâ, & ſignet ſe ſignô S. Crucis; portet apud ſe crucifixum, vel S. Crucem, Agnos DEI à Papa benedictos, ſcapulare Reliquias Sanctorum, vel eorum imagines in hunc finem benedictas. omniaque remedia ad expulſionem diaboli adhibeat. 3. Non ſuſpicetur hunc vel illum maleficum ſibi hoc intuliſſe maleficium, nè concipiat odium; ſed ei ignocat,

cat, & pro ejus converſione oret. 4. Studeat refrænare ſuas paſſiones iræ, invidiæ, libidinis, diffidentiæ, deſperationis &c. Quæ ſunt fomentum diaboli, quinimo ad meliorem vitam neceſſaria adhibeat media. 5. Ut ſæpè actus fidei & fiduciæ eliciat ſuæ liberationis: talis enim erit ejectio, qualis confidentia; nam *ædùm fidem veſtram fiat vobis.* 6. Ut ſit mente tranquillus, conſcientiâ quietus, intellectu non confuſus, locutione liber, & omnibus potentijs & ſenſibus bene conſtitutus. 7. Ut ſolitudinem, triſtitiam & melancholiam vitet, aliàs diabolus eum ita turbabit, ut vix non ſenſibus deſtituatur. 8. Ut ſuæ liberationis maximum habeat deſiderium, ad hanc ſe optimè præparet, & ſæpè pro ea roget, & inſtet.

Q. X. Quomodo vexatus erga diabolum diſpoſitus eſſe debeat? R. 1. Credere debet, dæmonem non plus poſſe, quàm divina permittat providentia. 2. Diabolo omnem ſublatam eſſe poteſtatem in ſervos DEI, veram in DEO confidentiam habentes; permiſſam tamen in filios diffidentiæ. 3. Licèt dæmones per ſuggeſtiones hominem ſeducant; non tamen ad peccatum cogere poſſint. 4. Ut odium diaboli concipiat, turpéque exiſtimet dæmonis habitaculum, & continuas inſpirationes ad diverſi generis peccata (præſertim ſub ſpecie boni) committenda pati.

5. Ut

5. Ut divina fretus protectione dæmonem non timeat, ſed eundem contemnat, varijs opprobijs afficiat, vilitatem ejus, & imbecillitatem in DEI ſervos exprobret. 6. Ut ejus tentationi non attendat, nec eandem curet, mox contrarium 2dùm Exorciſtæ inſtructionem faciat: Quam tentationem facilè agnoſcet (ſi etiam eſſet ſub ſpecie SS. virtutis) ſi ſibi cauſaret quandam triſtitiam, anguſtias cordis & mentis, & eſſet contra inſtructionem & obedientiam Exorciſtæ. 7 Ut certò credat ejectionem diaboli eſſe facilem, ſive unus, ſive omnes inſimul adſint. Et ſi quandoque ejectio eſt difficilis, difficultas non eſt ex parte ejectionis, ſed ex parte præviæ diſpoſitionis: Nam ſi confidentia non expellit timorem futuræ difficultatis, certè ejectio difficilis erit. Reliqua vide cap. 1. q. 15.

Q. XI. Quæ jam liberatus circa DEUM obſervare debeat? R. 1. ut DEO pro liberatione gratias agat. 2. Ut SS. Nomen JESU, in cujus virtute liberatus eſt, ſummè veneretur. 3. Ut fidem, ſpem, fiduciam & amorem DEI eliciat. 4. Conſcientiam à peccatis præſervet. 5. Lumen ad cognoſcendas diabolicas tentationes, & auxilium DEI per invocationem B. V. Mariæ &c. ad reſiſtendum diabolicis inſultibus humiliter petat.

Q. XII. Quæ remedia jam liberatus circa Exor-

Exorciſtam obſervare debeat? R. 1. Omnes novas tentationes diabolicas ei fideliter patefaciat, & remedia ab eo præſcripta diligenter obſervet. 2. Ut ejus habitatio, lectum, veſtes, comeſtibilia & potabilia, & alia ad eum ſpectantia ab Exorciſta benedicantur. 3. Ut Exorciſmum ſcriptum & benedictum, ab Exorciſta ſibi traditum, in collo appenſum devotè cum fide & fiducia portet, & alios, tum in portis, tum feneſtris affigat.

Q. XIII. Quæ jam liberatus circa ſeipſum obſervare debeat? R. 1. Loca obſcura & ſolitaria, triſtitiam & melancholiam vitet, & ſemper nunc in Domino gaudeat, ſe eſſe modò à tali malo liberatum hoſpite. 2. Ut ſe muniat SS. Reliquiis, aut aliis ab Eccleſia in hunc finem benedictis, in quibus majorem ponit fiduciam. 3. Cibos & potum ſignô S. Crucis benedicat. 4. Se jam perfectè liberatum pro certo credat.

Q. XIV. Quæ liberatus conrra diabolum obſervare debeat? R. 1. Mentem à ſuggeſtionibus ſuis avertat, & ad honeſta, utilia & neceſſaria applicet, nec cum eo altercetur, ſed eum per præceptum in Nomine JESU repellat. 2. Eum non timeat, ſed contemnat, & debilitatem ejus exprobret. 3. Si fortè antiquas vexationes ſuggerit, imaginationem tantùm reputet. 4. Si tamen ve-

ros

ros ſentit dolores, partem vexatam ſignô S. Crucis muniat, & per præceptum SS. Nominis JESU, ùt Cap. 1. q. 15; eum repellat. 5. Ante ſomnum cellam & lectum aquâ benedictâ aſpergat, & verſus ea faciendo crucem dicat: In virtute SS. Nominis D. N. JEſu Chriſti præcipio vobis maledictis dæmonibus, nè hoc cubiculum intrare, vel tumultum excitare, vel ſagam aut maleficum introducere, vel quoquô modô mihi nocere præſumatis. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs † Sancti, Amen.

Q. XV. Quænam ſint cauſæ reiteratæ poſſeſſionis, maleficij, vel diabolicæ vexationis? R. 1. Nova peccata, præſertim dif. fidentiæ. 2. Si credit diabolicis ſuggeſtionibus, ſe non eſſe liberatum, vel denuò recidivum. 3. Si credit, ſe nunquam vexatum fuiſſe, ſed tantùm infirmitate naturali laborâſſe. 4. Si credit, diabolica ſigna nondum ſublata, ſed adhuc latere. 5. Quòd modò majoribus tentetur ſuggeſtionibus, nec eis reſiſtere valeat. 6. Quòd ei denuò nova parata ſint maleficia. 7. Quòd veram non habuerit fidem & fiduciam, neque modò media obſervet præſervativa 8. Si vèlit ire ad alium Exorciſtam. 9. Quòd denuò (ùt ante) vexetur diabolicis terroribus, horrendis imaginibus, ſomnijs &c. Hìc Exorciſta labo-

laboret, ut eum rationibus, & textibus S. Scripturæ perſvadeat, ut deponat duram cervicem, ſed potiùs ſuis credat verbis, aliàs pro certo fiet recidivus, & error poſterior certiſſimè pejor erit priore.

CAPUT TERTIUM.

De Exorciſmis in genere.

Q. I. Quid ſit Exorciſmus? R. Eſt præceptum, quo efficaciter adſtringitur dæmon virtute divina, ex opere operato, & infallibiliter ad præſtandam Exorciſtæ, ùt Miniſtro Chriſti & Eccleſiæ obedientiam. Dicitur ex opere operato; quia licèt quidam Sancti Laici expulerint dæmonem, SS. Nomen JESU impetratoriè & ex opere operantis meritoriè invocando: Exorciſta tamen, licèt forèt in ſtatu diſgratiæ (dummodo haberet veram fidem & fiduciam) ex inſtitutione divina non virtute & ſanctitate ſua, ſed virtute & poteſtate in SS. Nomine & Perſona Chriſti expellit; ùt Sacerdos conſecrat, abſolvit, & alia Sacrameta adminiſtrat in Perſona Chriſti. Dicitur infallibiliter, quia Chriſtus (in cujus virtute fit Exorciſmus) infallibiliter ſuum habet effectum, ſi eſt ad majorem DEI gloriam, & vexati ſalutem, & ſi reliquæ diſpoſitiones adſint.

Q. II.

Q. II. Unde proveniat Exorciſmos toties ſuo fruſtrari effectu ? R. 1. ordinariè ex defectu veræ fidei & fiduciæ tam Exorciſtæ, quàm vexati. Unde rogent : *Domine adjuva incredulitatem meam.* 2. Eſt perverſitas vexati non vitans peccata, nec occaſiones; quia alias liberatio non eſſet ad majorem DEI gloriam, nec ad vexati ſalutem. 3. Si ab infantia eſt vexatus, & à pluribus Exorciſtis fruſtrà exorcizatus; quia tales jam contraxerunt habitum diabolo in omnibus aſſentiri. 4. Si vexatus eſt perfectioni ſtudens, ùt mulieres, quæ deſideriô multa pro Chriſto patiendi, optant à diabolo vexari. Aſt hæ ab hoſte ſe in Angelum lucis transformante decipiuntur, & inceſſanter ſub ſpecie boni ad malum alliciuntur. 5. Si vexatus eſt duræ cervicis Exorciſtæ reſiſtens, credens vexationem ſuam eſſe purè naturalem, etsi Exorciſtæ evidenter contrarium patet; vel ſi etiam diabolicis ſuggeſtionibus credens, impoſſibilem judicat liberationem.

Q. III. Quotuplices ſint Exorciſmi, ſeu præcepta ? R. 1. Communia. 2. Probativa. 3. Lenitiva. 4. Inſtructiva. 5. Expulſiva. 6. Præſervativa.

Q. IV. Quid ſint præcepta communia ? R Ea, quibus dæmon ad aliquid agendum, vel ab aliquo ceſſandum compellitur v. g. ſi dæmon

dæmon loquitur &c. vel vexatum à loquelâ, progreſſu &c. impedit; tunc eum ita conſtringe: Ego N. ùt Miniſter DEI & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte dæmon, præcipio, ut ſileas, vel, nè hanc creaturam DEI à loquela, vel progreſſu &c. impedias.

Q. V. Quid ſint præcepta probativa? R. Ea, quibus Exorciſta utitur ad probandum, an quis imaginariè tantùm, vel fictè, vel verè realiter à parte rei ſit à dæmone vexatus, v. g. voce ſubmiſſa dicat: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte dæmon præcipio (ſi alicubi in corpore hujus creaturæ DEI inhabitas) ut ſtatim mihi des aliquod ſignum evidens præſentiæ tuæ, cauſando in ea coram me aliquem dolorem, quem priùs me abſente in ea efficere conſveveras. Quòd ſi vexatus mox dolorem ſenſerit, ſignum eſt dæmonem adeſſe: Et tunc Exorciſta de præſentia dæmonis aſſecuratus, præceptô lenitivô mox præcipiat, ut à vexatione denuò ceſſet. Si autem verè à parte rei vexatus non eſt, nullum pariter dæmon ſignum dare poterit, & tunc imaginatio vel fictio perſonæ detecta eſt.

Q. VI. Quid ſint præcepta lenitiva? R.

Ea, quibus Exorciſta utitur ad vexationes diabolicas coërcendas v g. quando in præſentia Exorciſtæ vexatus actualiter, imò fortè magìs, vexatur, mox Exorciſta fide plenus præceptum lenitivum formet, dicendo: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole præcipio, nè hanc creaturam DEI vexes, nec poſthac habeas poteſtatem eam vexandi. Si vexatus nullum ampliùs deſuper ſentit dolorem, habet nunc Exorciſta optimam occaſionem, illum ad majorem fidem & fiduciam excitandi, & eum ad infallibilitatem liberationis perſvadendi.

Q. VII. Quid ſint præcepta inſtructiva? R. Ea, quibus Exorciſta vexato demonſtrat dæmonis debilitatem, vilitatem & obedientiam ad radicandam fidem & fiduciam in vexato. Ut ſi vexatus eſt debilis in fide, & ſe liberaturum à dæmone aut ejus maleficijs & vexationibus diffidit, tunc Exorciſta poterit voce clara in lingva materna dæmoni præcipere: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi maledicte diabole, præcipio, ut hujus creaturæ DEI manum &c. leviter crucies. Dum vexatus ſentit dolorem,

rem, tunc Exorciſta illico ſuper loco dolorifero ſignum S. Crucis formans, præcipiat: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut illicò hanc creaturam DEI vexare ceſſes. Videns itaque vexatus, diabolum tantam præſtare obedientiam, omnem vanum diaboli timorem excutiet, & ſummam capiet fiduciam, eandem pariter præcepto expulſivo præſtiturum obedientiam. Imò Exorciſta vexatum inſtruat, quòd ſi perfectè crediderit, ipſemet vexatus ſignô S. Crucis factô ſuper partem vexatam cum præcepto lenitivo à ſe omnem vexationem repellere poterit. ùt cap. 1. q. 15. dictum eſt.

Q. VIII. Quid ſint præcepta expulſiva? R. Ea, quibus Exorciſta utitur ad jam totaliter expellendum diabolum cum omnibus maleficijs & vexationibus ſuis ex vexato; quorum ſingula in particulari invenies in c. 4. Hoc tamen præceptum formari non poteſt, niſi vexatus concipiatur jam perfectè diſpoſitus. Et ſi dæmon alijs præceptis priùs punctualiter obediens non fuerit, præcepto expulſivo obedientiam non præſtabit; atque ita eveniet, ut vexatus de ſua liberatione deſperans forſan vix amplius, aut non niſi difficillimè liberetur, & erunt noviſſima

pejora prioribus. Et nisi priùs omnes difficultates ſublatæ fuerint, tunc licèt dæmon ex eo expulſus fuerit, revertetur pro certo; prima enim tentatione à diabolo ſtructa, vel non credet ſe verè liberatum, vel credet ſe denuò vexatum; & ſic ex demerito ſuo ſæpiùs de novo vexabitur.

Q. IX. Quid ſint præcepta præſervativa? R. Ea ſcripta, quibus Exorciſta utitur, poſtquàm vexatus jam eſt liberatus, nè diabolus habeat poteſtatem denuò poſſidendi, aut qualitercunque eum vexandi. Vel ſi vexatus necdum eſt liberatus, nè dæmon habeat poteſtatem eum in abſentia Exorciſtæ vexandi: ùt ſi priùs chartam, atramentum, & calamum benedicas, ſchedam formes, & in ea pro diverſitate vexationis Exorciſmum præſervativum ſcribas, & unum ad collum vexati appendas, alterum ad lectum, alium ad januas, alium ad feneſtras affigas. v. g. Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, nè ampliùs habeas poteſtatem in hanc creaturam DEI ingrediendi. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs † Sancti, Amen. Vel: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chri-

Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, nè impoſterum habeas poteſtatem, hanc creaturam DEI novô maleficiô inficiendi. In Nomine Patris, &c. Vel: Ego ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, nè impoſterùm habeas poteſtatem hanc creaturam DEI quomodocunque, vel doloribus, vel infirmitatibus &c. (prout circumſtantiæ adſunt) vexandi. In Nomine Patris, &c.

Q. X. An iſte modus præcepta formandi non tantùm de poſſeſſis & obſeſſis, ſed etiam de maleficiatis intelligendus ſit? R. affir. ſi maleficium ſit in corpore: licèt enim dæmon fortè tunc non ſemper præſens ſit, ùt fit in maleficio poteſtativo, ubi dæmon accedit, & recedit; ad præceptum tamen Exorciſtæ mox comparere, & obedientiam præſtare debebit. Quòd ſi maleficium ſit in lecto, veſtibus, angulo, ſub limite portæ &c. tunc in ijſdem locis formetur præceptum expulſivum: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, nè ampliùs poteſtatem habere præſumas, vel iſtis, vel alijs ſignis nocendi

cuipiam. In Nomine Patris, &c. Et tunc non erit neceſſe perquirere ſigna maleficij, quia diabolo exulſo non habent ullam vim ex ſe nocendi cuipiam.

Q. XI. An ſit licitum formare præceptum expulſivum ſinè probabili vexationis ſigno ? R. neg. quia ſic proſtituitur firmitas Exorciſtica. Unde priùs utatur præceptô probativô, vel lenitivô, vel utrôque (ad veritatem cognoſcendam) ùt dictum.

Q. XII. An dæmon ad loquelam admittendus ? R neg. ob multa mala vitanda; nec tu ullam utilitatem, multò minùs aliquam neceſſitatem, habere poteris ad aliquid eum interrogandum, quia pater mendatiorum eſt; & quia tu tantùm ei imperare habes, non autem tibi ullam cum hoſte DEI ſocietatem inire licet. Et ſi fortè dæmon per os vexati blaſphemet, alijs detrahat, vel minimum quid loqueretur, præceptô communi ad revocandum, & terram oſculandam, eum conſtringe.

Q. XIII. An expulſo uno dæmone omnes expellantur ? R. affir. ſaltèm pro ordinario: quia invocatio SS. Nominis JESU omnibus eſt moleſta; & certè ſub nomine dæmonis intelliguntur omnes, qui vexato inſunt. Cur verò ſubinde non omnes exeant ? eſt modici-

dicitas fidei & fiduciæ : Nam *ædùm fidem veſtram fiet vobis.*

Q. XIV. An dæmoni præcipiendum, ut ſui exitûs det ſignum aliquod materiale? v. g. ut vitrum confringat, candelas extingvat &c. R. neg. ſignum enim ſufficiens & certum eſt, ſi vexatus poſt præceptum expulſivum ſe velut à quodam pondere exoneratum, à quodam ligamine ſolutum, & ab omni dolore liberum ſenſerit.

Q. XV. Quo in loco Exorciſmus expulſivus fieri ; & an Exorciſta ſuperpelliciô & ſtolâ indutus eſſe debeat ? R. ad 1. Si poſſeſſio eſt publica, poteſt fieri in Eccleſia ad aram Sanctiſſimi luminibus accenſis, paucis intereſſentibus, qui poſſeſſum teneant; ſi verò eſt occulta, fiat in loco honeſto quocunque, & pro majori decore coram Crucifixo, licèt hoc non ſit opus, ùt in praxi vidi. R. ad 2. neg. quia tunc Sacerdos non expellit ùt Sacerdos, ſed ùt Exorciſta, cui non competit ſtola. Multò minùs poſſeſſus ſtolâ aut cingulis benedictis ligetur ; quia Exorciſta non ſuâ præſentiâ, ſed virtute divina eum protegit, defendit, & ab eo diabolum expellit.

CAPUT QUARTUM.

De expulsivis Exorcismis tam Possessorum, quàm Maleficiatorum in specie.

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ preces ante Exorcismum expulsivum recitari debeant?

Dico, nullas prorsus esse necessarias. Si tamen publicè fiat, vel etiam privatim, possunt (ad majorem fidem & fiduciam impetrandam) dici sequentes flectendo:

LITANIÆ DE OMNIBUS SANCTIS.

KYrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de Cælis DEUS. } Miserere ei.
Fili Redemptor mundi DEUS. } Miserere ei.
Spiritus Sancte DEUS. } Miserere ei.
Sancta Trinitas unus DEUS. } Miserere ei.

San-

Sancta MARIA, Ora pro eo (ea.)
Sancta DEI Genitrix, Ora pro eo (ea.)
Sancta Virgo Virginum, Ora pro eo (ea.)

Omnes Sancti Angeli & Archangeli.
Omnes Sancti Throni & Dominationes.
Omnes Sancti Principatus & Poteſtates.
Omnes Sanctæ Virtutes Cælorum.
Omnes Sancti Cherubini & Seraphini.
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ.
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ.
Omnes Sancti Martyres & Confeſſores.
Omnes Sancti Pontifices & Doctores.
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ,
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ,
Omnes Sanctæ Conjugatæ & Pænitentes.
Omnes Sancti & Sanctæ DEI,

Orate pro eo (ea)

Propitius eſto. Parce ei Domine.
Propitius eſto. Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, peccatis & diabolis.
Libera eum (eam) Domine.

A poteſtate, vexatione & inſidiis dæmonum.
A malitia & veneficiis impiorum.
Ab omni malo morbo, & gravibus doloribus.
Per tuam poteſtatem ſuper dæmonia, maleficia & infirmitates.
Per virtutem SS. Nominis tui, Paſſionis & Crucis tuæ.
Per interceſſionem B. V. Mariæ & omnium Sanctorum.
} Libera eum (eam) Domine.

Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut ei parcas & indulgeas.
Ut eum (eam) à poteſtate & malitia dæmonum liberes.
Ut eum (eam) à maleficiis impiorum liberare digneris.
Ut eum (eam) à diabolicis tentationibus præſerves.
Ut eum (eam) ab omnibus doloribus & infirmitatibus liberes.
Ut eum (eam) in anima & corpore ſanare digneris.
Ut nos Fili DEI exaudire digneris.
} Te rogamus, audi nos.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi &c.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon &c.

Pa-

Pater noſter &c. ℣. Et nè nos inducas &c.

Pſalmus 53.

DEus in nomine tuo ſalvum me fac : & in virtute tua judica me.

DEUS exaudi orationem meam ; auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni inſurrexerunt adverſum me, & fortes quæſierunt animam meam : & non propoſuerunt DEum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim DEUS adjuvat me : & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Averte mala inimicis meis : & in veritate tua diſperde illos.

Voluntariè ſacrificabo tibi : & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me ; & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus. Gloria Patri &c.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit Cælum & terram.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

℣. DEUS in nomine tuo ſalvum fac ſervum tuum (ancillam tuam)

℟.

℟. DEUS meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum (eam)
℣. Eſto ei turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo (ea)
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Miſerere hujus Domine, quoniam infirmus (infirma) eſt.
℟. Sana eum (eam) Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa ejus.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte; qui Sanctis Apoſtolis tuis in virtute SS. Nominis tui dediſti poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut per impoſitionem manuum ſuarum languores curarent; ideò te per SS. Nomen tuum, & per merita & interceſſionem B. V. Mariæ & omnium Sanctorum tuorum ſuppliciter deprecor, nè deſpicias me indigniſſimum tuum & S. Roma-

manæ Eccleſiæ Miniſtrum, te humiliter adorantem & devotè invocantem. Sed ſicut tradidiſti mihi in S. Apoſtolis tuis poteſtatem in virtute SS. Nominis JESU, dæmonia, & ſua maleficia, ejiciendi & deſtruendi, ac omnes languores, dolores & infirmitates curandi; ita datâ priùs veniâ omnium peccatorum & meorum, & hujus creaturæ tuæ, ac largita nobis neceſſaria firma fide, & inhæſitante fiducia, reple hodie ſuper illam impoſitionem manuum mearum omnem benedictionem cæleſtem; ut hanc creaturam tuam ab omni poteſtate diaboli, & à maleficiis ſuis, atque ab omnibus languoribus, doloribus & infirmitatibus clementer liberare & præſervare digneris, ut virtute SS. Nominis tui à præfatis malis liberata, perfecta ſanitate dotata, ad priſtina reparetur officia, & tibi in Eccleſia tua gratiarum debitas referat actiones. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus S. DEUS per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

Quæ preces poſt Exorciſmum expulſivum dicendæ?

Poſt Exorciſmum verſùs Crucifixum dicatur: Te DEum.

℣. Confirma hoc DEUS, quod operatus es in nobis.

℟. A templo Sancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit Cælum & terram.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS; qui hanc creaturam tuam per virtutem SS. Nominis D. N. JESU Chriſti Unigeniti

niti tui à diabolo, ejus maleficiis, & vexationibus, atque ab omnibus languoribus & infirmitatibus benignè liberare dignatus es; pro hoc beneficio humillimas agimus gratias, te piiſſimè deprecantes, ut per tuam piiſſimam miſericordiam, & virtutem SS. Nominis D. N. JESU Chriſti, ac merita & interceſſionem B. V. Mariæ & omnium Sanctorum ſpiritus iniquitatis ampliùs non habeat poteſtatem in hac creatura tua, ſed ut fugiat ab ea, & poſthac non revertatur. Ingrediatur in eam Spiritus Sanctus, bonitas, & pax D. N. JESU Chriſti, qui eam protegat, viſitet, atque defendat ab omnibus inimicis ſuis. Deſcendat ſuper eam, Domine, omnis cæleſtis benedictio, & gratia Spiritûs S., ut ab omnibus venenoſis nocumentis, univerſisque infirmitatibus, doloribus & languoribus, ac periculis animæ & corporis præſervetur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Nunc liberatum benedicat.

DOminus JEſus Chriſtus apud te ſit, ut te defen†dat; intra te ſit, ut te refi†ciat: circa te ſit, ut te conſer†vet: ante te ſit, ut

te

te confortet : ſupra te ſit, ut te undique muniat, atque benedicat. Spiritus S. deſcendat ſuper te, & maneat ſemper tecum. Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui : convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem, Amen.

Nunc benedicuntur omnes cum aqua benedicta.

ET Benedictio DEI Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus S. deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper vobiſcum, Amen.

QUÆSTIO TERTIA.

Quomodo per præceptum expulſivum Poſſeſſi, & Obſeſſi liberentur?

A. R. P. M. Ludovicus Coſta Conventualis hanc ſervavit breviſſimam praxim. 1. Dum Profeſſus quocunque tempore vel loco ad eum veniſſet, P. Ludovicus pollicem dextræ manûs ad aquam benedictam intinxit, & capite cooperto ſinè ſtola vel ſuperpelliceo coram Poſſeſſo contra lucem flectente(ut ad oculos poſſeſſi aſpicere potuiſſet) ſtetit. 2. Immediatè Poſſeſſum utraque manu per capil-

pillos anterius fortiter tenuit, ínque ejus fronte pollice ſignum S. Crucis formando, dæmonem ad oculos citavit, dicens: In Nomine D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut immediate compareas ſub aliquo ſigno viſibili in oculis hujus creaturæ DEI.

Mox deſuper oculi apparebant, quaſi extra ſitum naturalem, & quaſi vitrô fuiſſent obducti. Habita nunc certitudine de præſentia dæmonis, petijt ſcire nomen Poſſeſſi. Deſuper ſequentia quæſivit ad firmam fidem & fiduciam eliciendam:

1. N. Doléſne de peccatis tuis cum promiſſione vitæ perfectioris? ℟. Doleo, propono. 2. N. Crediſne, quòd DEUS ſuâ Omnipotentia te poſſit, & ſua bonitate, miſericordiâ ac fidelitate te velit liberare? ℟. Credo. 3 N. Credíſne, quòd & ego ùt Miniſter JESU Chriſti & S. R. Eccleſiæ habeam poteſtatem te in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti liberandi? ℟. Credo. 4. N. crediſne, quòd nunc actu liberaberis? ℟ Credo. Et mox deſuper ſequens expulſivum dedit præceptum:

Unde ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU

Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut hanc creaturam DEI deſeras, nec ampliùs habeas poteſtatem eam intrandi, aut qualitercunque vexandi, In Nomine Patris, & Fiłlij, & Spiritûs † Sancti, Amen. Denuo formando pollice dextro tres cruces in fronte Poſſeſſi.

Poſthac juſſit oculos aperire. Si oculi erant in ſtatu naturali, fuit liberatus: ſecus ad meliorem fidem & fiduciam adhortatus; quâ elicitâ formam repetijt ad optatiſſimum effectum. Pro gratiarum actione deponenda impoſuit 3. Pater & Ave, & ſe immediatè ſubtraxit. Si ſub prædictis quæſitis dæmon incepit rugire, ita ut Poſſeſſus reſpondere nequiverit, dedit mandatum, ut dæmon taceat: ſi ſtatim non obedivit, levavit chordam ad percutiendum, & mox ſiluit.

Et hæc erat breviſſima dicti P. Ludovici praxis, cui multoties intereram. Huic te conformes; ad firmiorem tamen fidem & inhæſitantiorem fiduciam per preces Sanctorum à DEO impetrandam Lytanias SS. Omnium cum ſequentibus præmitte; & poſt effectum debitam gratiarum actionem etiam depone.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

Quid agendum, ſi vexatus dubitet de ſui liberatione; vel dicat ſe de novo Poſſeſſum?

IN hoc caſu Exorciſta formet præceptum probativum v. g. Licèt ego probabiliter credam, hanc creaturam DEI totaliter à dæmone eſſe liberatam, ut tamen hoc nobis ad majorem cautelam certiùs conſtet, iterùm ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole præcipio, ut, ſi aliquam adhuc in hanc creaturam DEI habes poteſtatem, immediatè compareas denuo ſub aliquo ſigno viſibili in oculis hujus creaturæ DEI (vel ſtatim mihi des ſignum evidens tuæ poteſtatis & præſentiæ, aliquam in ea cauſando vexationem, uti ante conſveveras.)

Si nullum adeſt ſignum (vel, nec ulla cauſetur vexatio) eſt quid purè fictitium, aut imaginarium. Si verò cauſetur vexatio, formetur præceptum lenitivum v. g. Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, male-

dicte diabole, præcipio, ut hanc creaturam DEI ampliùs vexare non præſumas.

Deſuper poſſunt fieri preces tam ante quàm poſt liberationem, ùt ſupra, fiántque quæſita de fide & fiducia; ùt ſupra, & mox detur præceptum expulſivum v. g. Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole (qui hanc creaturam de novo invaſiſti) præcipio, ut ſinè ulla mora exeas ex illa, nec ampliùs habeas poteſtatem revertendi, ei nocendi, vel quoquô modô eam vexandi. In Nòmine Paſtris, & Fiſlij, & Spiritûs ſ Sancti, Amen. Idem modus ſervetur in maleficiatis, ſi non credunt ſe liberatos.

QUÆSTIO QUINTA.

Quomodo Parvuli ſint à vexatione liberandi?

Q. 1. Quas dæmon corpus Infantium vexandi ſumat occaſiones? R. 1. Si Infans non eſt, vel ab Obſtetricibus, vel ſemiebrio ſaltèm non eſt ritè baptizatus. Unde talis ſub conditione foret rebaptizandus. 2. Si à Parentibus, vel ejus curam gerentibus, non ſignetur cruce, nec divinæ commen-

mendetur protectioni. 3. Ob diras à Parentibus &c. infanti factas dæmonum imprecationes. 4. Per positionem signorum magicorum. 5. Per maleficia, per quæ maleficì ùt plurimùm vi pacti diabolum intrare cogunt.

Q. II. Quæ sint signa vexationis diabolicæ in Infantibus? R. 1. Si Sacerdotis faciem aspicere nequeunt, sed album oculorum nimiùm mutant. Si fiant nimiùm macilenti, licèt multum comedant. 3. Si cibos benedictos abhorrent. 4. Si repentè expallescunt. 5. Si sæpè quasi mori videantur. 6. Si sæpè contremiscunt, insomnes totas ducunt noctes, continuò flentes. 7. Si circa renes nigrescunt, vel in pectore intumescunt, ex quo Sagæ sanguinem sugunt &c.

Q. III. Quomodo Parvuli sint à vexatione liberandi? R. 1. Parentes Infantis, vel alij hujus curam gerentes persolvant locò Parvuli omnia, quæ aliàs adultus persolvere debet. 2. Unus eorum in ulnis teneat Parvulum. 3. Fiant preces ùt supra. 4. Fiant quæsita, & detur præceptum ùt in Adultis. 5. Gratiarum actio, ùt supra.

Q. IV. Qualiter Parvuli à vexatione sint præservandi? R. 1. Parentes, vel vices eorum gerentes, se in gratia constituant. 2. Sæpè Parvulos DEO commendent. 3. Si-

gnô crucis eos muniant. 4. Ea obſervent, quæ cap. 2. q. 11. dicta ſunt.

QUÆSTIO SEXTA.

Quomodo curentur maleficia diverſorum morborum?

Q. I. Quas dæmon vexatis cauſet infirmitates? R. Omnis generis (ita ut non ſit infirmitas naturalis, quas imitari non ſtudeat; nè tantùm dæmon agnoſcatur, & agnitus per Exorciſtam expellatur: jam enim vexatus ſumptâ medicinâ modò meliùs habet; jam priſtina infirmitate laborabit majori, ita ut medici radicem infirmitatis cognoſcere nequeant, nisì prudens Exorciſta deſuper veniat, & præceptô lenitivô, vel probativô, vel inſtructivô anguem ſub herba inveniat) nam 1. Cibos peſſimos appetunt, & bonos nauſeant. 2. Continuo moleſtantur vomitu. 3. Sæpè pulſum in collo, vel dolorem in renibus ſentiunt. 4. Diverſis febribus aut phreneſi laborant. 5. Aliquando omnes corporis partes tumefiunt, aut talem ſentiunt laſſitudinem, ut vix ſe movere poſſint. 6. Sæpe cor ita affligitur, ut videatur lacerari à canibus, morderi à ſerpentibus, clavô aut acu transfigi, conſtringi & ſuffocari. 7. Aliquando membra videntur flagellata,

lata, conſtricta, & quaſi lacerata. 8. Modò viſcera torquentur, & venter repentinè inflatur, ac quaſi viſcera eſſent vacua, per quæ flatus diſcurrunt. 9. Quaſi mures in toto corpore diſcurrerent. 10. Graviſſimos ſentiunt dentum vel oculorum dolores, quaſi acubus pungerentur. 11. Sæpè melancholiâ gravantur, ut loqui tædeat. 12. Alij præ vehementi dolore clamant, ita ut nec vi contineri valeant. &c. &c.

Q. II. Quibus dæmones modis infirmitates cauſent? R. 1. Per ſpecies imaginarias, & ſpiritus animales turbando, vel in corpore motiones & affectiones varias cauſando, ut vexatus ſe videre & audire putet, quæ nunquam viſa vel audita ſunt. 2. Perturbando humores naturales, ita ut hæc infirmitas tranſeat in naturalem, maneántque ſæpè expulſo dæmone claudi &c. 3. Renitente etiam voluntate ſe lapidibus &c. vulnerant, & mox abſque emplaſtro curantur. &c. Sed licèt dæmon in filios diffidentiæ in DEO ob ſua peccata poteſtatem vexandi habeat; in filios tamen confidentiæ ob ſua merita talem vix habebunt poteſtatem.

Q. III. Quotuplices ſint tales infirmitates? R. 1. Naturalis, quam dæmon naturali venenô cauſat. 2. Præternaturalis, quam dæmon vel immediatè per ſe ipſum, vel per commotionem humorum cauſat. 3.

Mixta, ex utraque participans, ita ut dæmon corporis partem poſſideat, & ſimul naturalem dolorem & infirmitatem cauſet.

Q. IV. Quomodo hæc naturalis infirmitas diſtinguatur à præternaturali? R. 1. Per Exorciſtam: nam dolores ex maleficio præternaturali ad præceptum lenitivum, vera fide & fiduciâ factum, evaneſcunt ſubitò; & iteratò ad præceptum probativum vel inſtructivum mox incipiunt; dolores verò ex maleficio purè naturali per præceptum lenitivum non leniuntur. 2. Maleficium naturale certam & fixam in corpore habet ſedem; ſed præternaturale ordinariè jam hanc jam illam corporis afficit partem, & tremendos cauſat dolores, ùt q 1. dictum. 3. Dolores ex maleficio naturali fermè continui ſunt, ùti cauſa eorum purè naturalis ſemper eôdem modô applicata eſt; aſt dolores ex maleficio præternaturali ordinariè diſcontinui ſunt, ita ut jam graviter perſonam afficiant; jam ſubitò ceſſent, & vexatus omnimodæ videatur reſtitutus ſanitati.

Q. V. Quomodo vexàti infirmi curandi ſint? R. 1. priùs debent ad DEUM præmitti preces, quas habes hìc quæſt. 1. 2. deinde per præceptum expulſivum debet expelli dæmon cum maleficijs. 3. Tandem debet curari infirmitas adhuc relicta. Quem ordi-

ordinem ſumo ex ipſo facto Evangelico Matth. 8. *Dum motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe JESUS dormiebat. Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum dicentes: Domine, ſalva nos, perimus. Et dixit eis JESUS: quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens JESUS imperavit ventis & mari; & facta eſt tranquillitas magna.* Ecce 1. per preces JESUS ſuſcitandus eſt, pro robore veræ fidei & fiduciæ impetrando. 2. Debes imperare ventis ſcilicet diabolis, qui ſunt cauſa motûs hujus infirmitatis. 3. Tandem fluctibus infirmitatis, qui corpus vexati operiunt.

Q. VI. Quomodo hæc ad praxim ponenda? R. Præmiſſis precibus cit. quæſt. 1. formes quæſita ad vexatum, ùt quæſt. 3. Deinde fac præceptum expulſivum v. g. Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut hanc creaturam DEI deſeras, omnia maleficia tollas; nec habeas ampliùs poteſtatem, eam qualitercunque vexandi; ita jubeo in Nomine Paſtris, & Fiſlij, & Spiritûs † Sancti, Amen. Hìc fiant 3. cruces pollice in fronte vexati. Mox fiant quæſita citata proportionatè de fiducia ſanitatis acquirendæ. Aſpergat nunc infirmum aquâ benedictâ, &

intingat pollicem dextrum ad eam, móxque utramque manum ponat ad caput ægroti dicendo : Super ægros manus imponent, & bene habebunt. D. N. JESUS Chriſtus in virtute SS. Nominis ſui ſit tibi propitius, & reſtituat te priſtinæ perfectæ ſanitati, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus † Sancti, Amen.

Q. VII. Quid ſi fieret recidivus ? R. Eſſe quædam repetenda. Hoc autem contingeret 1. Si ſanitas non cederet ad majorem DEI gloriam, & ſuam majorem ſalutem. 2. Ob defectum veræ fidei & fiduciæ. 3. Si SS. Nomen JESU exiguo haberet honore. 4. Si pro beneficio debitas DEO non ageret gratias. Hinc gratiarum actio non tantùm immediatè poſt gratiam adeptam, ùt ſupra quæſt. 2. ſed ſæpiùs deponi debet. 5. Ob nova peccata.

Si quis naturali infirmitate laboraret præſertim cum nec haberet, unde medicinas acquireret, vel etiam acquiſitæ nihil juvarent; poſſet Sacerdos præmiſſis precibus eidem confidenter manus imponere dicendo: Super ægros &c. ùt ſupra ; quia *quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud DEUM.* Luc. 18.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quomodo Conjuges ſint à vexatione liberandi?

Q. I. Quæ ſint ſigna vexationis diabolicæ in Conjugibus? R. 1. Dum dæmon unum alteri reddit odioſum, ita ut præ odio alteri appropinquare nequeat; amat in abſentia, odit in præſentia. 2. Dum eos impedit, nè ſibi appropinquare poſſint, eos à mutuo amplexu abſterrens & impediens. 3. Dum ſpiritus vitales prohibet tranſire ad genitalia, ſícque ſeminis deciſionem impedit.

Alia ſigna notantur paſſim apud Canoniſtas Tit. *De frigidis & maleficiatis.* Et apud Moraliſtas, ubi agunt *de impedimento impotentiæ.* Quæ ibi videri poſſunt.

Q. II. Quare DEUS permittat, Conjuges malenciô affici? R. ex Job. 6. *Qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut DEUM à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ùt equus & mulus, quibus non eſt intellectus: habet dæmonium poteſtatem ſuper eos. Tu autem, cùm acceperis Uxorem* (dicit S. Raphaël Tobiæ) *ingreſſus cubiculum per 3. dies continens eſto ab ea. Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magìs, quàm libidine ductus.*

Q. III.

Q. III. Quæ ſint in actuali liberatione ſervanda? R. Conjuges in fide & fiducia inſtructi, per Exorciſtæ quæſita ùt ſupra quæſt. 3. eas actualiter repetant; & Exorciſta ſuper flectentes det præceptum expulſivum. V. g. Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut in his creaturis DEI immediatè deſtruas omne maleficium, & totaliter recedas ab eis, nec ampliùs poteſtatem habeas, odium adverſus alterum cauſandi, aut in uſu matrimonij eos impediendi, vel quomodocunque vexandi; ita ut liberè & inimpeditè poſſint uti ſuô matrimoniô, generare, concipere, portare, parere, honeſtè alere prolem gratam DEO & hominibus. In Nomine Paſtris, & Fiſlij, & Spiritûs ſ Sancti, Amen.

Nunc eos aſpergat aquâ benedictâ, & fiant preces gratiarum actoriæ ùt quæſt. 2. poſt quas eos admoneat, ut 2dùm monitum S. Raphaëlis ſe triduô contineant, & addat ſequentem benedictionem: Creator Cæli & terræ, qui primis Parentibus matrimoniô ſociatis dixit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram; ille vos ſua benedictione

ne adverſus omnes diaboli infeſtationes fæcundet, & multiplicet: & Chriſtianæ ſobolis ſalutarem propagationem miſericorditer vobis concedat, in Nomine Patris, & Fiſlij, & Spiritûs † Sancti, Amen.

Si fortè maleficium foret in lecto, eum benedicas, ùt in c. 6. deinde exorcizes: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut ſi fortè in hoc lecto, vel quocunque alio loco aliquod maleficium conſervas; illico illud deſtruas, & totaliter ab hoc lecto, & loco illo fugias, nec impoſterum ullam habeas poteſtatem Conjuges in hoc lecto commorantes quocunque modo vexandi, vel à conjugio in minimo impediendi, in Nomine Patris, & Fiſlij, & Spiritûs † Sancti, Amen.

QUÆSTIO OCTAVA.

Quomodo deſtruenda maleficia abortûs, difficilis partûs, & lactis exſiccationis?

Q. I. Unde hæc maleficia proveniant? R. Ordinariè ex eo: 1. Quia Conjuges

juges non debito fine utuntur matrimonio. 2. Quia prolem conceptam non commendant divinæ protectioni. Ideò eliciant dolorem, propoſitum, fidem, fiduciam; fiant preces, & quæſita, ùt ſupra quæſt. 1. 2. 3. Deinde ſequens præceptum:

Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi maledicte diabole, præcipio, ut mox deſtruas omnia maleficia, & totaliter exeas ab hac creatura DEI, ut prolem conceptam conſervare, parere, & materno lacte alere, & ad majorem DEI gloriam educare queat. In Nomine Patris, &c.

Q. II. Quid poſtea agendum? R. *Fiant preces Quæſt. 2. & ſuperaddatur hæc Oratio:*

Oremus.

OMnipotens æterne DEUS, qui B. V. Mariæ uterum mirabiliter fæcundâſti, ut de Spiritu S. verum DEUM & hominem, Salvatorem noſtrum JESUM Chriſtum conciperet, pareret, & lacte nutriret; imploramus clementiam tuam, ut huic famulæ tuæ ſublato omni dæmonis impedimento & maleficio, ſalutarem matrimonii fructum concipere, portare, parere

rere & proprio lacte nutrire, impertire digneris, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

QUÆSTIO NONA.

Quomodo tollenda maleficia impedimenti butyrizationis?

1. SI vaccæ lac dent ſanguinolentum, vel lac optimum ſtatim corrumpatur, vel in butyrum nullo adhibito conatu tranſeat, benedicantur ſtabulum, vaccæ, & vas lactarium; illáque rebus benedictis præmuniat dicendo.

Oremus.

OMnipotens & miſericors DEUS, qui neceſſitatem humani generis prævidens, adminicula temporalia clementer contuliſti, te humiliter imploramus, ut benedicere digneris has vaccas, ſtabulum, & hoc lac unà cum vaſe lactario, ut quod tua nobis miſericordia piè contulit, diabolicâ nequitiâ non pereat. Per Dominum noſtrum, Amen.

Omnia aſpergantur aquâ benedictâ.

2. Deinde infuſo lacte jubeat, ut omnis labor

labor in virtute SS. Nominis JESU Chriſti incipiatur, continuetur, & finiatur, & ſequens det præceptum : Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi maledicte diabole, præcipio, ut illico omne maleficium tollas, & deſtruas, atque totaliter recedas; ità ut non habeas ampliùs poteſtatem has vaccas mulcendi, lac corrumpendi, vel butyrum faciendum impediendi, in nomine. &c.

3. Scribatur Exorciſmus ad ſchedam, & affigatur ad portam, feneſtras & præſepia ſtabuli, ac ad vas lactarium.

QUÆSTIO DECIMA.

Quomodo ſint tollenda maleficia brutorum?

CUm ſimilia, utì præcedentia, ob peccata eveniant, inſtruatur Pater Familias ad confeſſionem fidem, fiduciam & orationem, & Exorciſta dicat ſequentem orationem.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui ab origine mundi creans hominem, ad ſuum uſum & levamen feciſti etiam jumenta

menta. Te humiliter deprecamur, ut hæc animalia liberare digneris à quocunque maleficio, ac qualibet lue, peſte & morbo contagioſo, ut tradita eis ſanitate deſervire poſſint ad uſum Domini ſui, qui in Eccleſia tua gratiarum tibi referat actiones. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Deinde fiat Exorciſmus: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut mox deſtruas omne maleficium his beſtiis illatum, & ab his & loco iſto recedas; nec ampliùs habeas poteſtatem eis nocendi, apparendi, vel eas qualitercunque vexandi, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs † S. Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ, benedicantur præſepia, ovilia, aqua, ſal &c. Omnia præmuniantur rebus benedictis, Exorciſmis ſcriptis; & domeſtici fide & fiduciâ orent pro præſervatione. Ex his patet, qualiter formæ in SS. Nomine JESU eſſentiali manenti tantùm addantur verba in ordine ad intentum.

QUÆSTIO UNDECIMA.

Quomodo procedendum cum Sagis & Maleficis, pactum cum dæmone habentibus, ſed nunc verè pœnitentibus?

COnfeſſarius ſit ſollicitus procurare licentiam abſolvendi ab hæreſi & alijs caſibus reſervatis, & omni zelô adjuvet eos in fide, integra & contrita confeſſione, in qua quærere poteſt. 1. An & quoties DEUM negârit? 2. An & quoties dæmonem, ùt DEUM adorârit? vel Sacrificium ei obtulerit? vel ſupſcripſerit? articulum hæreticum crediderit? 3. An B. V. Mariam, Sanctos, Sacramenta, totámque fidem abnegârit? 4. An S. Imagines inhonorârit? 5. An S. Evchariſtiam ex ore acceperit, & inhonorârit? 6. An à dæmone vel maleficis novô fuerit initiatus baptiſmo, confirmatione &c.? 7. An ſe obligârit dæmoni ſemper ſacrilegè confiteri, communicare, & quoties id fecerit? 8. An præſens miſſæ, affectu S. Hoſtiam, B. V. Mariam, & alia ſancta inhonorârit? An & de quibus dæmoni jurârit? 10. An fuerit in conventibus diabolicis, & alios adduxerit? 11. Quoties ibi fuerit, dæmonem adorârit, S. Hoſtiam &c. conculcârit? 12. An non S. Hoſtiam, præſertim in ſecretioribus

bus ſui corporis partibus inſanârit? dæmoni dederit? in unguenta diabolica miſcuerit? 13. An unguenta habuerit? à quo receperit? quæ ad ea adhibuerit? 14. An ſimilia habeat? ſi ita, Confeſſario tradat. 15. An & quot ſeduxerit? in amentiam egerit? occiderit? 16. An quibuſdam ſanguinem, matribus lac exſuxerit, ubera venenô affecerit, & ita parvulos occiderit? 17. An hominibus nocuerit, tempeſtates, tonitrua, grandines, imbres cauſando, vel obtentum à dæmone pulverem &c. ſpargendo; unde poſtea ranæ, locuſtæ, limaces &c. agrorum nocumenta prodierint? 18. An greges & armenta maleficiis affecerit, vel planè peremerit? 19. An alterum depauperârit, vel damnum cauſârit in bono fortunæ? 20. An læſerit Parentes, liberos, maritum & ſibi propinquos? An Clericos, Religioſos? ob quod cenſuram incurrerit. 21. An cum beſtiis, dæmone, hominibus maleficis, conſanguineis ſe commiſcuerit? 22. An theſauros arte magica quæſierit, aut aliter divitias, honores, vel victoriam à dæmone expetierit? 23. An quibuſdam dæmoniacis uſus contra vulnera, tormenta, & quibus? 24 An conatus animas evocare? an convenerit de apparendo poſt mortem? 25. An finxerit ſpectra? 26. An ſpectris cultum exhibuerit? & quem, ac quibus? 27. An procurave-

rit ſpectrorum apparitiones? 28. An Exorciſmis vetitis & diabolicis uſus ad morbos quoſdam curandos? 29. An habuerit dæmonem incluſum, vel includere ſit conatus? an familiarem habuerit, ſub quo pacto, quàm diu, & ad quid? 30. An & quibus philtris uſus, quoſdam ad amorem illicitum, quoſdam ad odium alliciendo. 31. An nullum abortum fructus animati vel inanimati ad ſterilitatem procuraverit? &c. &c.

Facta Confeſſione demonſtret delicti enormitatem, diaboli tyrannidem, DEI miſericordiam, libertatem arbitrij, diabolici pacti invaliditatem, & quòd ſyngrapha, contritâ Confeſſione facta, nullius ſint valoris. Jubeat, ut DEum adoret, dæmoni renunciet, B. V. Mariam & omnes Sanctos veneretur; dæmonem verò deteſtetur, ejúſque pacta & conventiones reſcindat. Jubeat proteſtari, ſe deinceps nullam cum dæmone ſocietatem & conventionem habiturum; ſed ſub protectione DEI & Sanctorum victurum. Si ſyngraphum eſt duplex, quod ſaga habet, laceretur, & comburatur; de altero non ſit ſollicita, cùm per pœnitentiam, dæmonis abrenunciationem, & miſericordiæ divinæ invocationem ſufficienter revocetur. *Reliqua ùt in quæſt. ſeq.*

QUÆ-

QUÆSTIO DUODECIMA.

Quomodo procedendum cum iis, qui ſe dæmoni ad tempus certum ſubſcripſerunt?

ESt procedendum utì cum præcedentibus, & peracta contrita Confeſſione & S. Communione, elicitáque ab iis firma fide, ſpe, fiduciâ & amore DEI, nè diabolus in eos poteſtatem habeat, Exorciſta det ei præceptum: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, nè huic creaturæ DEI, quæ ad DEum Patrem miſericordiarum, & ad ſinum Eccleſiæ recurrit, appropiare, nec eam quoquô modô moleſtare præſumas, ſed ulterius â me expectes judicium.

Nunc orentur Litaniæ SS. Omnium cum precibus; poſtea, ſi ſyngraphum repetunt, det mandatum: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut Chirographum, quô hæc creatura DEI ſe tibi obligavit, ſinè mora reſtituas, & patenter extradas, in nomine Patris †, & Filij †, & Spiritûs † Sancti, Amen.

Quô reſtituto det præceptum expulſivum: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut ab hac creatura DEI (quæ ſuorum peccatorum contrita ad DEum confugit, & ad aſylum SS. Nominis JESU ſe recepit) immediatè & totaliter recedas; nec ampliùs habeas poteſtatem ejus corpus intrandi, vel eam vexandi, nec ſub quacunque forma ei apparendi, vel ad deſperationem inducendi, aut aliô quôvis modô infeſtandi In nomine Patris &c.

Poſt liberationem comburatur reſtitutum Chirographum, & recitetur: Te DEum laudamus &c.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit Cælum &c.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & uſque &c.

℣. Propitius eſto Domine peccatis noſtris.

℟. Nè quando dicant gentes, ubi eſt DEus eorum.

℣. Adjuva nos DEus ſalutaris noſter.

℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus &c.

℣. Do-

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens & miſericors DEUS, qui omnem animam pœnitentem, & confitentem tibi, magis vis emendari, quàm perdere: nec illum reſpuis, ſed quantumvis peccantibus per pœnitentiam pia miſeratione placaris, reſpice ſuper hunc famulum tuum (vel famulam tuam) & averte ab eo (vel ea) iram indignationis tuæ, & omnia ejus peccata dimitte. DEUS, qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris: Majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut hunc famulum tuum (vel famulam tuam) de tua miſericordia confidentem cæleſti protegas benignus auxiliô, & aſſidua protectione conſerves, ut tibi jugiter famuletur, nullis tentationibus à te ſeparetur, nec diabolicis infeſtationibus perturbetur. Omnipotens & miſericors DEUS reſpice propitius ad preces noſtras, & libera mentem iſtius creaturæ tuæ ad aſylum miſericordiæ tuæ confugientis de tentationibus malarum cogitationum; ac corpus de inſultibus dæmoniacarum infeſtationum; & illumina cor ejus, ut tua valeat

implere præcepta, ac Spiritûs S. dignum fieri habitaculum mereatur, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

CAPUT QUINTUM.

De Spectris, & de modis ea pellendi.

Q. I. Quotuplicia ſint Spectra? R. alia eſſe 1. Dæmoniaca. 2. Magica 3. Animæ damnatæ. 4. Animæ purgantes. Frequentiora ſunt ſpectra dæmoniaca & magica; rariſſima animarum damnatarum; rariora animarum purgantium. Animæ purgantes apparent potiùs fidelibus piis conſanguineis, quàm aliis; quia ab his auxilium ſperant, non ab aliis. Animæ damnatæ ijs apparent frequentiùs, qui pœnarum infernalium ipſis authores fuerunt. Dæmones tandem apparent hominibus peſſimis, quos ùt Miniſtri Divinæ juſtitiæ perſeqvuntur; & Sanctis, quos à ſanctitate avertere tentant.

Q. II. Quomodo Spectra diabolica ab Angelis bonis dignoſcantur? Solent enim mali Angeli ſub ſpecie Angeli boni, Sanctorum, & Chriſti apparere, inſtituunt colloquia ſancta, conſulunt optima, Sanctos mirum

rum in modum deprædicant, Chriſti merita exaltant, etiam in locis ſacris inter Filios DEI adſtant, bonis & ſanctis viris ſe manifeſtant, inſolitas ſvadent auſteritates, & corporis macerationes, miracula falſa, quaſi vera, patrant; ut ſic ſub ſpecie boni latenter inſtillent venenum. ℟. Dignoſci tamen poſſunt. 1. Si is, cui apparent, dicat. Laudetur SS. Trinitas: vel SS. Nomen JESU, vel Mariæ. Si deſuper ſpiritus abſolutè renuant, certè mali ſunt. 2. Si in SS. Nomine JESU de veritate edicenda (quis & qualis ſit?) adjuratus, ſubitò diſpareat, malus eſt. 3. Adjuretur v. g. In virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti te adjuro, ut dicas, an bonus vel malus ſis Spiritus? vel dicas: Glorifices SS. Nomen JESU. Si bonus Spiritus eſt, cum jubilo glorificabit; ſi malus? mox evaneſcet.

Q. III. Quomodo Spectra diabolica ab animabus purgandis dignoſcantur? ℟. Ut Angeli boni à malis. Spectra tamen diabolica à magicis non diſtinguenda ſunt; cùm ſemper dæmon præſens ſit, dum ſagæ vel malefici ope dæmonis in domibus, vel alibi apparent: victo enim dæmone vinees etiam maleficos.

Q. IV. Quomodo Spectra diabolica ſint pellenda? ℟. 1. Ante expulſionem omnes

prorſus domeſticos (nè forte unus eorum occultè ex nequitia tales cauſaret tumultus) convocet ; interroget de initio, de tempore, de loco, de modis tumultûs, an ſub oratione ? &c. Ut in diſcretionem ſpirituum veniat. 2. Inſtruat omnes in fide, fiducia, & quæ dicta ſunt in Cap. 2. 3. Ut ſe in omnibus conforment Exorciſtæ, omnem abjicientes metum diaboli, quem evadent, ſi ritè ſint confeſſi & communicati.

. Nunc inſtituatur Proceſſio cum omnibus domeſticis, præcedente cruce & 2. candelabris accenſis & aquâ benedictâ, à porta domûs uſque ad principalem locum infeſtatum ſub recitatione Lytaniarum Omnium SS. cum precibus. Veniendo ad terminum, Domeſtici ad actus fidei & fiduciæ actu eliciendos readhortentur, & ad preces excitentur. Exorciſta verò ùt Judex à DEO deputatus ſedeat capite cooperto voce gravi præceptum probativum contra dæmonem formet ; & ſi opus eſt, etiam ter repetat.

Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut ſi aliquam habes poteſtatem hanc domum, vel hunc locum infeſtandi, vel ejus Incolas moleſtandi, mox, ſinè ulla tamen læſione cujuſcunque des ſignum evidens tuæ

præ-

præſentiæ, aliquem cauſando tumultum, quem priùs me abſente cauſare conſveveras.

Si nullus auditur tumultus, Exorciſta omnes bono animo eſſe jubeat; cùm diabolo ſit jam à DEO ſublata poteſtas, eos moleſtandi: nam dæmon domum infeſtans jam accedit, jam recedit, neque omni tempore præſens eſt. Quare ſi ei abſenti porta regreſſus ſpiritualibus ſeris obſeretur, nullus ampliùs ingreſſus ei patebit Formet ergo præceptum, & ſcriptum ad portas affigat.

Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, nè poſthac ſive per te ipſum, ſive per ſagas aut maleficos poteſtatem habeas domui vel loco huic appropinquandi, in ea tumultus excitandi, aut domeſticos qualitercunque moleſtandi, & vexandi. In nomine Pa†tris,& Fi†lij, & Spiritûs † S., Amen.

Quòd, ſi dæmon præſens eſt, debet cauſare tumultum ſibi impoſitum, & tunc Exorciſta mox præceptum lenitivum det: Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut illico ab omni tumultu deſiſtas.

Deſu-

Deſuper omnes præſentes moneat, ut firmiter credant, quòd, uti dæmon præcepto probativo & lenitivo paruit, ita & præcepto expulſivo parere debeat. Et tunc genuflexis aliis contritionem, fidem & fiduciam in DEum elicientibus, ac DEum invocantibus, Exorciſta ſedeat dextrâ per modum minitantis extensâ voce gravi præceptum expulſivum formet.

Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, ut illico ab hoc loco: & ejus incolis recedas, nec impoſterum ullam habeas poteſtatem hic habitandi, diſcurrendi, vel quemcunque tumultum excitandi, vel ejus Incolas quôcunque modô inquietandi, perturbandi, aut divexandi, in nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritûs† S., Amen.

Deinde aſpergat aquâ benedictâ omnes Domeſticos, & locum infeſtatum, & moneat eos de præſervatione ut Cap. 2. Pro majori tamen aſſecuratione formet denuò præceptum probativum: Licèt ego probabiliter credam omnes diabolos in virtute SS. Nominis JESU ex hoc loco totaliter eſſe expulſos, ita ut nullam ampliùs habeant poteſtatem hic habitandi, vel quemcun-

cunque tumultum excitandi, aut domeſticos quôcunque modô moleſtandi: nihilominus ut de veritate nobis id conſtet, iteratò ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti & Eccleſiæ tibi, maledicte diabole, præcipio, ſi adhuc præſens es, & adhuc aliquam habes poteſtatem in hanc domum vel locum ut ſtatim mihi des ſignum evidens tuæ præſentiæ & poteſtatis, aliquem cauſando tumultum, qualem priùs cauſâſti.

Si denuò tumultus audiretur, roborentur omnes ad majorem fidem & fiduciam, & repetat præceptum expulſivum. Si verò non, adhortentur, nè ampliùs timeant diabolum. Deinde accedat cum eis ad alia loca domûs, & ea aquâ aſpergat benedictâ, & per ea præceptum expulſivum conditionatum faciat. In loco principali deponatur gratiarum actio: Te DEum &c.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit Cælum & terram.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

℣. Fiant aures tuæ intendentes.

℟. In vocem deprecationis meæ.

℣. Do-

℣. Dominus ſit in loco iſto.
℟. Et cum omnibus inhabitantibus in eo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

INclina, quæſumus Domine, aures tuas ad preces noſtras, quibus te humili er deprecamur, ut locum iſtum tua benedictione impleas, & efficias, ut in eo ſit ſanitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, manſvetudo, plenitudo legis, confidentia in SS. Nomine JESU, & gratiarum actio tibi DEO uni & trino; neque contra eum ampliùs prævalere poſſit deterrimus dæmon: nec poſſint habitatores ejus à dæmonum illuſionibus, præſtigijs, incantationibus, maleficiis, apparitionibus, infeſtationibus, ac vexationibus perturbari; ſed omnes ſentiant in eo tuam omnipotentiam in hac ſacerdotali benedictione concurriſſe, quâ potenter eripiantur, liberentur, ac præſerventur ab omnibus diabolicis inſidiis, moleſtijs, & nequitijs, & à quocunque malo mentis & cor-

corporis. Viſita, quæſumus Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle. Angeli tui Sancti habitent in ea, qui habitantes in pace cuſtodiant; & Beneꝑdictio ſit ſuper eos ſemper. Exaudi nos Domine S. Pater omnipotens æterne DEUS, & mittere digneris S. Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Tandem locum, & omnes Domeſticos genuflexos cum aſperſione benedicat dicens: Benedictio DEI Omnipotentis Paꝑtris, & Fiꝑlij, & Spiritûs ꝑS. deſcendat ſuper hanc domum, & omnes habitantes in ea, & maneat ſemper, Amen.

Si quandoque quid adhuc audiretur, quilibet domeſticus in ſuo loco privato dicat: In virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi, maledicte diabole, præcipio, nè per teipſum, nec per ſagas aut maleficos me, vel locum iſtum moleſtare præſumas, in nomine Paꝑtris, & Fiꝑlij, & Spiritûs ꝑS. Amen.

Similis Exorciſmus affigatur ad portas & feneſtras; ducántque Incolæ vitam timoratam, quia vitia ſunt fomentum & pabulum diabolicæ vexationis. Q. V.

Q. V. Quomodo Spectra magica, seu malefici aut sagæ (qui per dæmones invisibiliter introducuntur, ut maleficijs homines inficiant, comprimant, ut vix respirare possint, ubera sugunt, concubitus attentant &c.) Tam homines, quàm eorum habitationes vexantes sint pellenda? R. utì dæmones: cùm enim malefici ope dæmonum omnia præstent, habeántque dæmonem semper sibi assistentem; quidquid efficaciam habet contra dæmonem, habebit & contra maleficos. Idem intellige de animabus damnatis.

Q. VI. Quid ergo agendum cum illis maleficis mortuis, qui cum dæmone fecerunt in vita expressum pactum, ut post suam mortem possint resurgere, secum corpora fidelium Defunctorum, imò etiam innocentium, in hoc cæmiterio post se sepultorum trahere, hinc inde discurrere, homines ad terrorem inquietare, & terribiliter divexare; de quibus habemus recentissima exempla? R. 1. Non esse dubium, quin per licitum contrapactum talia Spectra sint coërcenda. Verùm cum quantis molestiis vespillionum & Carnificum cum nausea & horrore adstantium? loquantur ij, qui adhuc vivunt oculares horum testes. R. igitur 2. leviori, honestiori & breviori modô hæc spectra esse coërcenda: nam cùm hæc resurrectio corporum non nisì ope dæmo-

dæmonis (admittente DEO) fiat ; ſi ergo per poteſtatem exorciſticam Exorciſtæ à DEO traditam dæmon ex his corporibus pulſus fuerit, certè corpora præfatorum reſurgere non poterunt. Ideò Exorciſta utatur poteſtate ſua, plenus fide & fiduciâ (ad eandem populum adhortetur) & imperterritè contra iſta ſpectra agat omnia, utì hìc q. 3 contra ſpectra diabolica dicta ſunt ; & ſic videbit mirum effectum.

Q. VII. Quomodo dæmones in annulo vitro, vel vaſculo incluſi ſint ejiciendi ? Eſſe ejiciendos, utì ex domibus vel energumenis. Contingit enim, quòd ad voluntatem Magorum dæmones ſe liberè ad ſimilia includant ; & dum homines pænitentes ſe inde liberare volunt, non poſſint, licèt vaſculum ad ignem vel aquam projiciant, denuò tamen ad Dominum redeunt. Ideò jube 1. Ut pænitens contritam confeſſionem, & devotam Communionem peragat, deteſtetur dæmonem præſentem, eíque renunciet : DEum verò pro remiſſione peccatorum ſuorum, & gratia ad devitandas dæmonis fraudes, invocet. 2. Ut dæmonem incluſum ſibi extradat, cum certa fide & fiducia, eundem ampliùs non reverſurum, dummodo peccata caveat. 3. Nè ampliùs diabolicis attendat ſuggeſtionibus, nec eundem timeat, licèt ipſi minitetur, quin potiùs ipſum per

præceptum in SS. Nomine JESU à ſe repellat. 4. Exorciſta vaſculô corã ſe collocatô præceptum formet expulſivum : Ego N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi maledicte diabole, præcipio, ut mox ſinè ulla noſtrûm læſione ex hoc vaſculo totaliter recedas, nec poſthac ullam habeas poteſtatem revertendi ad hanc creaturam DEI, quæ te mihi tradidit, nec ad quamcunque aliam, nec eam qualitercunque moleſtandi aut vexandi, in nomine Paſtris, & Fiſlij &c.

Vaſculum mox in opprobrium dæmonis confringatur, pedibus calcetur, & fragmenta (igne priùs benedicto) comburatur.

Q. VIII. Quomodo animæ purgantes ſint liberandæ? R. Inſtituatur Proceſſio ſub Litanijs Omnium SS. ùt ſuprà q. 4. veniendo ad locum infeſtatum; det Exorciſta priùs præceptum conditionatè ad dæmonem, & animas damnatas. Si nullum detur ſignum, flectendo recitetur Officium Defunctorum, Pſalmi pænitentiales, & ſequens Oratio.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, omnium Cognitor ſecretorum, qui ſemper tuis fidelibus & parvulis revelare ſalubria & utilia conſveviſti, quique in hoc loco ſpiritum

ritum quendam ſe oſtendere permiſiſti: tuam piiſſimam obſecramus miſericordiam per paſſionem tuam, & per pretioſiſſimi ſanguinis tui pro peccatis noſtris effuſionem, ut digneris huic præcipere ſpiritui, ut ſinè terrôre & læſione noſtra ſe revelet, ſignaturus nobis famulis tuis, quis ſit? vel cur venerit? quidve deſideret? ut tu inde honorari valeas, & ipſe, ſi poſſibile eſt, conſolari, & fideles tui inde ſublevari valeant, in Nomine Patris, & Filij & Spiritûs S., Amen.

Nunc Exorciſta ſurgat, & interroget: In virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tibi Spiritui præcipio, ut nobis dicas, quis ſis? & quid velis? Reſponſis acceptis eum in Nomine D. N JESU Chriſti dimittat, & petita impleantur.

CAPUT SEXTUM.

De Benedictionibus huc pertinentibus.

REs de conſvetudine Eccleſiæ ſuis temporibus benedictæ ſunt maximæ efficaciæ, utì ſunt ſal, aqua, herbæ, thus, myrrha, aurum,

rum, in Epiphania benedicta, frondes Palmarum, oleum olivarum, cerei ſacri, cera paſchalis, grana thuris Sabbathi S., Agni DEI &c. Ratio eſt; quia non ob alium finem iſta benedicuntur, nisì ut illis tollatur omnis poteſtas dæmonis, prout ex formulis benedictionum, & SS. Patrum exemplis patet. Verùm quia Benedictiones Sacerdotales ſunt tantùm deprecativæ ab Eccleſia inſtitutæ, non habent effectum infallibilem, ſed ex meritis benedicentis; hinc Sacerdos benedicens præter alia requiſita debet habere conſcientiæ puritatem, ut benedicendo vexatum, vel infirmum habeat ſuum effectum: nam *DEUS peccatores non audit; ſedſi quis DEI cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit* Joann. 9. Aliud eſt, ſi Sacerdos ad aliqua munia ipſam poteſtatem habet à Chriſto, ùt v. g. ad exorcizandum &c. Tunc agit in Perſona & meritis Chriſti infallibiliter, ſi omnia requiſita adſint. Hìc annecto quaſdam Benedictiones 2dùm Ordinem alphabeticum ad præſentia negotia ſpectantes, ut benedicens eas in promptu habeat. Benedicens ſit ſtolâ indutus, & cuilibet benedictioni præmittat ſequentes verſus & Orationem; & poſt Benedictionem rei, aſpergat illam aquâ benedictâ.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit &c.

℣. Sit

℣. Sit Nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usque &c.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra Oratio & operatio à te semper incipiat, & per te incepta finiatur. Omnipotens sempiterne DEUS, qui Sacerdotibus tuis præ cæteris tantam contuliſti gratiam, ut quidquid in virtute SS. Nominis D. N. JESU Christi dignè, & perfectè ab eis agitur, à te fieri censeatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modò in virtute SS. Nominis JESU benedicam, tu benediſcas, & ad ea, quæ modò agam, dextram tuæ potentiæ extendas, fiátque ad Beneſdictionem meam Sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, & protectio Angeli pacis, per eundem JEsum Christum Dominum nostrum, Amen.

Atramenti.

BEneſdic Domine JESU Chriſte in virtute SS. Nominis tui hoc atramentum, ut ſit remedium contra omnes diaboli inſidias generi humano ſalutare; & præſta per invocationem SS. Nominis tui, ut quicunque ex eo ſcripſerit, & quocunque ſcriptura hæc pervenerit, mox omnes diabolicas fuget vexationes, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Calami.

BEnedic † Domine hunc calamum, ut quidquid eô per invocationem SS. Nominis JESU ſcriptum fuerit, Benedictionem recipiat, & contra omnes morbos, ac univerſas inſidias diaboli, & inimicorum tutamen ſit; Et ego tuus Sacerdos in hoc SS. Nomine JESU hunc calamum beneſdico, & ſanctiſfico, ut ejus ſcriptura ſit defenſiculum creaturis tuis, & ignis ardens dæmoniorum, & ſit deſtructio & expulſio, atque annihilatio omnium facturarum diabolicarum. In Nomine Paſtris, & Fiſlij, & Spiritûs † S., Amen.

Char-

Chartæ.

DOmine DEUS, qui per Moyſen & Prophetas antiqvum, & per S. Apoſtolos & Evangeliſtas novum ſcribi voluiſti teſtamentum, in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti benedicere †, & ſanctificare † digneris hanc chartam, ut quicunque ſacris verbis ſcriptam ſuper ſe portaverit, vel in domo affixerit, ab omni infeſtatione diaboli aut maleficorum liberetur, in Nomine Patris, & Filij &c.

Candelarum.

DOmine JESU Chriſte Fili DEI vivi, benedic candelas iſtas ſupplicationibus noſtris, & infunde eis Domine, per virtutem SS. Nominis & Crucis tuæ Benedictionem cæleſtem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti, talémque Benedictionem ſignaculô S. Crucis accipiant, ut quibuſcunque locis accenſæ, ſive poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pavidi cum omnibus Miniſtris ſuis ab habitationibus illis: nec præſumant ampliùs inquietare, aut moleſtare ſervi-

entes tibi Omnipotenti DEO, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Comeſtibilis & Potabilis.

IN virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti benetdico, & exorcizo hæc comeſtibilia & potabilia per illum, qui benedixit, & multiplicavit panes in deſerto, qui aquam in vinum convertit, & qui manna Patribus dedit in deſerto, omne delectamentum in ſe habens, ut ſint fortitudo & ſanitas atque purificatio huic & omnibus creaturis DEI ipſa ſumentibus, ad effugandos omnes ſpiritus immundos, omnem nefariam diaboli poteſtatem, facturas & minas ejus exterminandas per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos. Purifica Domine JESU Chriſte, benetdic, & ſanctifica, quæſo has creaturas cibi & potûs, quas ego Sacerdos tuus in virtute SS. Nominis tui benetdico, puritfico, & ſanctitfico, ut quicunque ex his comederit vel bibetit, ab eo procul fugiat dæmon cum omnibus maleficiis ſuis, in nomine Patris, & Fitlij &c.

Cujuſ-

Cujuſcunque rei.

BEneꝛdic Domine, creaturam iſtam N. ut ſalutare remedium ſit facturæ tuæ, quam pretioſo ſanguine redemiſti: & præſta per invocationem SS. Nominis JESU, ut quisquis ea uſus fuerit, benedictionem & ſalutem animæ & corporis recipiat, atque contra omnes morbos, ac univerſas inſidias diaboli, & inimicorum tutamen ſit. Et ego Miniſter tuus in virtute SS Nominis JESU hanc creaturam benedico, & ſanctifico: ut ſit defenſiculum creaturis ſuis, & ignis ardens dæmoniorum, & ſit deſtructio & expulſio atque annihilatio omnium facturarum & diabolorum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs † Sancti, Amen.

Cretæ.

BEneꝛdic Domine DEUS creaturam iſtam cretæ, ut ſit ſalutaris humano generi; & præſta per virtutem & invocationem SS. Nominis tui, ut ubicunque quid eâ ſcriptum fuerit, omnes diaboli inſidias, facturas & vexationes repellat. In nomine Patris &c.

Crucis.

DOmine JESU Chriſte benedic hanc Crucem, per quam redemiſti hominem, contra dæmonum poteſtatem; & ſanctifica hoc ſignaculum S. Paſſionis tuæ, ut ſit omnibus diabolis obſtaculum, & perpetuum credentibus propugnaculum. Dignare Domine, hanc Crucem paterna pietate benedicere, cæleſtémque virtutem & gratiam per SS. Nomen tuum ei impertiri, ut quicunque eam in Paſſionis & Crucis tuæ ſignum ad tutelam corporis & animæ ſuper ſe geſtaverit, cæleſtis gratiæ plenitudinem in ea, & munimen valeat tuæ Benedictionis accipere. Si quis verò maleficiatus, â diabolo vexatus, infirmus aut moribundus eandem in manu ſua tenuerit, aut ſuper pectus ſuum impoſitam habuerit, ad eum non audeant appropinquare hoſtes maligni, nec ei tentationibus ſuis nocere, aut ſpectris ſuis pavorem immittere. Sed virtute hujus crucis benedictæ ab infeſtationibus dæmonum liberatus tibi, JESU Chriſte, Redemptori ſuo laudes & gratiarum actiones perſolvat. Et ego in virtute SS. Nomi-

nis

nis tui hanc Crucem benedico; tu verò contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defensionis impende; ut portantibus illam animæ pariter & corporis prosperitatem conferat salutarem, & spiritualia in eis dona multiplicet. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Aspergens illam, dicat: Sanctificetur hoc signum Crucis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus † Sancti: & benedictio illius ligni, in quo membra Salvatoris nostri suspensa sunt, sit in isto signo crucis, ut portantes eam propter DEum inveniant animæ & corporis sanitatem, & ab omnibus vexationibus diabolicis liberationem. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Cubiculi.

BEnedic, Domine DEUS Omnipotens, locum istum, ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, fortitudo, humilitas, bonitas, mansvetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio DEO Patri, & Filio, & Spiritui S. Et hæc Benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, Angeli tuæ lucis eum inhabitent, eúmque & ejus habitatores custodiant

diant, & defendant contra omnes insidias diaboli, & si quæ ab eo sunt in hoc loco machinata & fabricata, authoritate Majestatis tuæ, & in virtute SS. Nominis D. N. JESU Christi expellant, ut virtute Spiritûs S. fiat hic tibi debitum, & devota libertate securum servitium. Per eundem Christum &c.

Domûs.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui Sacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine dignè, perfectéque ab his agitur, à te fieri credatur: Quæsumus immensam Clementiam tuam, ut quod modò visitaturi sumus, tu visites; quidquid benedicturi, tu benedicas, & ad ea, quæ acturi sumus, dextram tuæ potentiæ extendas, fiátque ad nostræ humilitatis ingressum, Sanctorum tuorum meritis in virtute SS. Nominis D. N. JESU Christi fuga dæmonum, & destructio eorundem maleficiorum, ac Angeli pacis ingressus. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen

Conserva, Domine, domum istam in æternum impollutam, quam à spiritibus im-

immundis nunc mundo, purgo, benedico, & ſanctifico. Egrediatur fons de domo tua Domine ſuper domum iſtam, ut tuâ irrigatur miſericordiâ, & dic Angelo percutienti: ceſſet jam manus tua, appareat Majeſtas tua, & ſanctificet hoc habitaculum. Benedic Domine, & ſanctifica hanc domum, ut dæmones, & eorum maleficia non poſſint latere in ea: nam ego Sacerdos tuus in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti deſtruo; & annihilo facturas, & omnia maleficia facta, vel facienda in hac domo, & benedico illam, ut dæmones & facturæ in ea non poſſint ſtare, nec durare, ſed nunc omnia deſtruantur, & deficiant. In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs † S., Amen.

Peto, Domine, per tuam bonitatem, ut hic locus ſit benedictus à tua ſancta dextra, ut ſit ignis ardens dæmonibus, ut ab eo ſemper fugiant confuſi, nec ullô modô poſſint latere in eo, die, vel nocte, & ut habitantes in eo per virtutem SS. Nominis D. N. JESU Chriſti ſinè ulla turbatione & nocumento diabolico poſſint devotè orare, quietè dormire, comedere, bibere, & alia agere, & liberè exercere; &

tua

tua Benedictio sit semper super hunc locum, & super omnes habitantes in eo. Sancti Angeli descendant in hanc domum, & eam defendant, & protegant ab omnibus dæmonibus & facturis suis per pietatem optimi DEI semper, Amen.

Evangeliorum S. Joannis.

OMnipotens & misericors DEUS, te suppliciter deprecamur, ut benedicere, & sanctificare digneris hæc S. Evangelia in honorem SS. Nominis D. N. JESU Christi, per dilectum tuum Apostolum Joannem Evangelistam, dictante Spiritu S. conscripta, ut meritis SS. Incarnationis tuæ, & intercessione ejusdem S. Evangelistæ tui, quicunque eis usus fuerit, vel cum reverentia super se portaverit, salutem mentis & corporis à te recipiat, & per virtutem SS. Nominis D. N. JESU Christi omnes dæmones cum maleficijs suis ab eo procul fugiant. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Benedictio DEI Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritûs † Sancti descendat super hæc S. Evangelia, & maneat semper, Amen.

Fon-

Fontis ſeu Putei.

DEprecamur Domine, clementiam pietatis tuæ, ut aquam putei hujus cæleſti Benedictione ſanctifices, & in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti ad communem vitam concedas ſalubrem: & ita ex eo fugare digneris omnem diabolicæ vexationis incurſum, ut, quicunque ex eo hauſerit, vel uſus fuerit, totius ſanitatis dulcedine perfruatur, & à diabolicis vexationibus præſervetur: ut tibi Sanctificatori omnium Domino ſemper gratias agere mereatur. Per eundem Chriſtum &c.

Ignis.

BEne†dico te creaturam ignis, ſancti†fico, exorci†zo, & conju†ro te per eum, qui te creavit, ut contra diabolos, eorúmque ſigna maleficia ſis adjutorium mihi. Sic tu Domine bene†dicere, & ſancti†ficare digneris hanc creaturam ignis, ut ardens dæmones, maleficia, & omnia opera ſua, cujuſcunque generis ſint, comburat, deſtruat, & annihilet, quæ facta ſunt: quæ omnia, Domine, in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti deſtruo,

ſtruo, & annihilo, ſemper humiliter obſecrans tuam omnipotentem pietatem, ut huic creaturæ ignis eam virtutem conferre tua benignitate digneris, quæ malignis ſpiritibus, non ſolùm infernalium pœnarum recordationem efficiat amaram. Sed etiam eos excruciet, exterminet, & expellat; & ſic benedico, & ſanctifico hunc ignem in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs † S., Amen.

Imaginum.

OMnipotens ſempiterne DEUS, Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut Imaginem hanc, in qua S. N. efformatus eſt, benedicere, & ſanctificare digneris, ut quicunque hanc intuetur, vel devotè apud ſe portaverit, hujus Sancti N. actus & ſanctitatem ad imitandum meditetur, ſalutem mentis & corporis conſequatur; & quidquid juſtè petierit, hujus Sancti N. meritis & precibus gratiam; in præſenti tuam, æternam verò in futuro obtineat gloriam; ſitque ea per virtutem SS. Nominis D. N. JESU Chriſti benedicta ei firmiſſimum contra omnes diaboli & maleficorum inſidias tutamen. Per Chriſtum &c. In-

Incenſi.

PEr interceſſionem B. Michaëlis Archangeli ſtantis â dextris altaris incenſi, & omnium Electorum ſuorum, incenſum iſtud dignetur Dominus bene†dicere, & in odorem ſvavitatis accipere. Sit, quæſumus Domine, famulis tuis pretioſo ſanguine redemptis, in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti, defenſio perpetua contra omnes ſpiritus malignos, & omnes incantationes, præſtigia, & diabolicas vexationes; ſit perpetua expulſio malignorum ſpirituum; & in quocunque loco odor hujus incenſi fuerit, nullum maleficium, nulla moleſtatio diabolica, nullus languor & infirmitas poſſit perdurare; ſed ſtatim tua immenſa potentia, & virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tollatur, & abigatur per ſignum † S. Crucis. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Lecti ſeu Thori.

DOmine S. Pater, qui caſtigando nos ſalvas, deprecor Majeſtatem tuam ſuper hunc lectum & plumas: quæ omnia

in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti Unigeniti tui benedico, puriſico, exorciſzo, & ſanctiſico, & tu Domine benedicere, & ſanctiſicare digneris hunc lectum cum plumis & omnibus, quæ in eo ſunt, ut quisquis, & præcipuè hæc creatura N. ſuper has plumas & lectum proſtrata fuerit, dormiat, & tuam Benedictionem recipiat, & ſecura quieſcat: imò omnis ſpiritus immundus, omne phantaſma, omne maleficium, vel factura, vel ligatura, ſignatura, & omne opus quomodolibet diabolicum in lectum, vel plumas has, vel domum factum deſtruatur, annihiletur, exterminetur, diſſipetur, expellatur, elongetur, nec ampliùs revertatur. Et ego Servus DEI in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti deſtruo & exſtirpo, & annihilo, & ſpiritus maledictos thorum domum, & tuas creaturas violare volentes contero, & diſperdo. Et tandem Domine multiplica tuas S. Benedictiones ſuper lectum & has plumas, & ſuper creaturas jacentes in eis: nam ego omnia benedico, ſanctiſico Sacerdotali auctoritate, quâ fungor in nomine Patris &c.

Male-

Maleficiati.

BEneꝛdicat tibi Dominus, & cuſtodiat te; oſtendat faciem ſuam tibi, & miſereatur tui; convertat vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Dominus beneꝛdicat tibi N., & liberet te ab omni malo, & ab omnibus inſidijs inimicorum Dominus JESUS † Chriſtus apud te ſit, ut te defendat; intra te ſit, ut te conſervet; ante te ſit, ut te deducat; poſt te ſit, ut te cuſtodiat; ſupra te ſit, ut te beneꝛdicat, & liberet te ab omnibus maleficijs. Dominus JESUS † Chriſtus in virtute SS. Nominis ſui te præſervet ab omni vinculo facturæ & maleficij diaboli, ut tibi nocere non valeat; denique ab omni malo te defenꝛdat, Amen.

Medicinæ.

QUæſumus clementiam tuam, æterne DEUS, ut hanc medicinam ad expellendas omnes ægritudines & fugandas diabolicas virtutes, & maleficiorum infectiones, imò & ipſos dæmones à corporibus humanis, quam in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti beneꝛdico, & ſanctiꝛfico; ſic & tu Omnipotens & Clementiſſime

DEUS benetdicere, & sanctitficare piissimè digneris, & ejus, qui hanc medicinam sumet, extingue febrium infestationes, viscerum tormenta cura, cordis & capitis dolores, ac passiones cunctas dissolve, gravitates pectoris remove, omnes infestationes à quibusvis partibus corporis resolve, phantasmaticis adesto periculis, tumoresque compesce. Sit hæc medicina expulsio præsentis morbi, & fugiant diaboli cum omnibus suis maleficijs. Exortcizo te creatura medicinæ in virtute SS. Nominis D. N. JESU Christi, ut virtutem naturalem retineas, supernaturalem recipias adjurata in SS. Nomine JESU Christi. †Benetdic, ô Domine hanc medicinam, & virtus Spiritûs S. sit super illam, ad evacuanda, destruenda annihilanda & eradicanda à corpore humano maleficia cuncta, cujuscunque generis sint, & simul ad expellendum ipsum dæmonem. Prout ego Minister Christi & Ecclesiæ in virtute SS. Nominis JESU Christi benetdico, exortcizo, & sanctitfico ut sis potens ad effugandos dæmones cum omnibus maleficiis suis. In nomine Patris, & Fitlij, & Spiritûs † Sancti, Amen.

No-

Nominis JESU.

PAter omnipotens DEUS, qui SS. Nomen D. N. JESU Chriſti dilectiſſimi Filii tui feciſti fidelibus tuis ſummo ſvavitatis affectu amabile; diabolis verò tremendum & terribile: concede propitius, ut quicunque hanc SS. Nominis JESU figuram (quam ego ejus Miniſter ad ſuum honorem benedico, & ſanctifico) apud ſe portaverit devotè, ab omni infirmitate animæ & corporis, & tentatione diabolica per tuam piiſſimam miſericordiam liberari mereatur. Et in quocunque loco hæc tremendi SS. Nominis JESU figura fuerit affixa, ibi nullus malignus ſpiritus poſſit intrare, aut maleficia ſua, ſive per ſe, ſive per alios exercere; ſed videns illam, divino terrore percuſſus fugiat procul: nec audeat appropinquare homini, aut loco, in quo, & apud quem hæc figura SS. Nominis JESU fuerit, per eundem JEſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Numiſmatum.

BEnedic Domine numiſmata hæc, ut ſint ſalutare remedium, & devotionis augmentum omnibus ea devotè vene-

rantibus; & præſta per invocationem & virtutem SS. Nominis D. N. JESU Chriſti, & Sanctorum tuorum, quorum effigies hæc præſeferunt, ut quisquis eadem ſecum portaverit, aut domi aſſervaverit, Benedictionem & defenſionem tuam accipiat; atque contra omnes morbos & univerſas tentationes diaboli tutamen penes ſe habeat. Unde ego Miniſter D. N. JESU Chriſti in virtute SS. Nominis ſui, & in nomine Sanctorum tuorum hæc numiſmata benedico, puriſico, & ſanctiſico, ut ſint defenſio creaturis tuis, & ignis ardens dæmonum, & deſtructio omnium maleficiorum: In nomine Patris, & Filij, &c.

Pabuli Jumentorum.

OMnipotens æterne DEUS, qui producis fœnum jumentis, & qui aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione, dans eſcam omnibus in tempore opportuno; exaudi preces ſervorum tuorũ & ſuper hoc fænum, paſcua, ſalem, aquam &c. in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti tuam SS. Benedictionem infundere digneris, ut quæcunque jumenta ex

eis

eis ſumpſerint, ab eis diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, liberentur, & præſerventur ab omni maleficio, noxa & infeſtatione dæmoniaca; & à quacunque lue ac morbo contagioſo: ut illis tua divina virtute adjutis, atque protectis, eorum Domini ac cuſtodes gratiarum tibi in Eccleſia tua referant actiones. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Roſarij.

OBſecramus te clementiſſime DEUS, ut hanc coronam in honorem & laudem tuam, & Genitricis B. V. Mariæ D. N. JESU Chriſti Unigeniti tui benedicas, & ſanctifices, eique virtutem Spiritûs S., & SS. Nominis JESU infundas, ut quicunque eam devotè portaverit, aut in domo vel manibus ſuis reverenter tenuerit, ab omnibus diabolis, ejúſque maleficijs & vexationibus ſemper & ubique in hoc ſæculo liberetur, & in exitu ſuo à B. V. Maria, & S. Angelo Cuſtode ſuo plenus operibus tibi præſentari mereatur. Per eundem &c.

Salis.

IMmenſam clementiam tuam, Omnipotens æterne DEUS, humiliter imploramus, ut hanc creaturam ſalis, quam in uſum generis humani tribuiſti, in virtute SS. Nominis D. N. JESU Chriſti benedicere, & ſanctificare digneris, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, & quidquid ex eo factum aut conſperſum fuerit, careat omni immunditia maleficiali, omníque vexatione diabolicæ nequitiæ. Per Chriſtum Dominum &c.

Stabuli.

DOmine DEUS Pater Omnipotens, rerum omnium Conditor & Conſervator, defende, & benedic hoc ſtabulum cum pecoribus ſuis per virtutem aquæ à te Miniſterio Eccleſiæ tuæ benedictæ; & per invocationem SS. Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritûs † Sancti ſanctificatæ (*aſpergatur aquâ benedictâ*) ut per virtutem SS. Nominis D. N. JESU Chriſti, ac per merita omnium Sanctorum exterminetur diabolus & omnia maleficia ejus à loco iſto, & à terminis fidelium te invocántium. Tu Domine, ab his pecori-

coribus omnes diaboli fraudes repelle, ferarum incurſus amove, venena reſcinde, eáque ab omnibus infirmitatibus, adverſitatibus, periculis, à dæmone, ejuſque maleficijs & vexationibus ſuis libera. Dignare Domine per virtutem SS. Nominis tui hæc pecora conſervare, benedicere, & ab omni malo liberare. Salvifica pabulum, arce dæmonia, tribue fæcunditatem, & tua efficaciſſima Benedictione reple omnia, quæ uſui horũ pecorum adaptantur, & adaptanda erunt. Qui vivis &c.

Veſtimentorum.

OMnipotens æterne DEUS, qui inter cætera mirabilia creaturas tuas diverſis veſtimentis condecorâſti; nóſque veſte miſericordiæ in hoc ſæculo, & in regno tuo ſtolâ gloriæ circumdas; quæſumus, ut hæc veſtimenta per virtutem SS. Nominis D. N. JESU Chriſti purificare, mundare, & benedicere digneris; ut quicunque ea portaverit, & induerit, cæleſtis gratiæ plenitudinem in eis, & munimen tuæ valeat Benedictionis accipere, ut ab omnibus inimicorum maleficiis, incantationibus, ligaturis, ſignaturis & ſa-

cturis, ac á vexationibus & insidiis defensus, incolumis te in sæcula glorificare valeat. Per eundem &c.

Vini.

EXorcizo te creatura vini, & benedico te in virtute SS. Nominis D. N. JESU Christi, ut qui te devotè biberit, & gustaverit, omnis spiritus immundus cum facturis suis ab eo recedat. Tu quoque Domine JESU Christe benedicere, exorcizare, & sanctificare tua pietate digneris hoc vinum, ut sit remedium efficax contra omnem potestatem omnium inimicorum nostrorum, & contra suas facturas factas vel struendas in eo, qui gustaverit hoc vinum benedictum. Peto Domine per tuam S. Passionem & Crucem, ut, qui biberit ex hoc vino benedicto, mundetur à spiritibus immundis, & ab omni maleficio, & omnis virtus diaboli exterminetur, & potestas tua Domine in virtute bonorum tuorum prævaleat. O Domine infunde tuam S. Benedictionem in hoc vinum, & ego benedico, & sanctifico illud in virtute SS. Nominis D. N. JESU Christi, ut vulpes infernales demolientes vine-

vineam hanc tuam, ponentes eam in deſertum, unà cum operibus ſuis, maleficiis & facturis deſtruantur, & annihilentur. Succurre Domine, benedic, ſanctifica hoc vinum, ut ſit vinum gratiæ, ſcientiæ, ſapientiæ, fervoris & amoris ad ſanandas tuas creaturas ex eo guſtantes & bibentes, corpus reficiat, & corroboret, intellectum clarificet, cor lætificet, dolorem & triſtitiam quamcunque expellat, maleficia cuncta deſtruat, & annihilet â creaturis ex eo bibentibus. Per eundem JEſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Cujus Sanctiſſimo Nomini ſit omnis Honor & Gloria.

THE-

THESES THEOLOGICÆ
De
DEO Creatore.

I. *Virtus creandi ità ſoli DEO eſt propria, ut creatura nec principaliter, nec inſtrumentaliter poſſit creare. II. Habitus ſupernaturales per ſe infuſi non creantur, ſed educuntur. III. Angelos eſſe creatos ratio naturalis non demonſtrat. IV. Angeli dicunt potentiam poſitivam ad non eſſe. V. Poſſunt naturaliter cognoſcere ſecreta cordium. VI. Non habent congenitas ſpecies omnium rerum in particulari. VII. Loqvuntur inter ſe cauſando ſpeciem ſui conceptûs in audiente. VIII. Potuerunt in primo inſtanti creationis peccare. IX. Primum peccatum dæmonum fuit Philautia. X. Qui torquentur ab igne infernali non phyſicè, ſed intentionaliter.*

De
DEO Recreatore.

I. *Myſterium Incarnationis nequit ratione naturali demonſtrari. II. Non*

Non fuit Incarnatio ſimpliciter neceſſaria ad condignè ſatisfaciendum DEO pro peccatis. III. Aſſumptio humanitatis Chriſti fuit alia actio à productione animæ, & humanitatis. IV. Unio hypoſtatica eſt maxima in ratione unionis & doni. V. Veniſſet Chriſtus, licèt Adam non peccâſſet. VI. Perſona DEI poſſet aſſumere naturam irrationalem, & accidens abſolutum. VII. Una natura creata nequit aſſumi à pluribus Perſonis Divinis; plures attamen humanitates poſſent aſſumi in Unitatem Perſonæ. VIII. Satisfactio ejus non fuit rigoſæ juſtitiæ. IX. Meritum Chriſti fuit intrinſecè valoris finiti. X. Anima Chriſti videt in Verbo omnia futura, & poſſibilia habitualiter, non actualiter.

De
DEO Sanctificatore.

I. GRatiam ſanctificantem cauſant Sacramenta non phyſicè, ſed moraliter. II. Sacramenta Vivorum per accidens cauſant gratiam primam. III. Ablutio per ſe occiſiva non eſt materia valida Baptiſmi. IV. Sacramentum Euchariſtiæ eſſentialiter & in recto importat ſpecies conſecratas, in obliquo verò connotat Corpus, & ſanguinem Chri-

Christi. V. *De potentia* DEI *absoluta potuisset* DEUS *instituere Eucharistiam ante existentiam Christi circumscriptivam.* VI. *Mortaliter peccans non tenetur statim pœnitere, nisi plena deliberatione peccatum recogitet.* VII. *Sacramentum Pœnitentiæ nequit esse validum & informe defectu doloris.* VIII. *Potestas Ordinis Exorcistatûs ex opere operato fugat dæmones.* IX. *Episcopatus est verus Ordo distinctus à Sacerdotio.* X. *Matrimonium contractum inter infideles non potest etiam interventu novi consensûs post Baptismum fieri Sacramentum.*